ANIMADVERSIONES

IN QUATUOR

CONTRA

ROMANI PONTIFICIS INFALLIBILITATEM

EDITOS LIBELLOS

ANIMADVERSIONES

IN QUATUOR

CONTRA

ROMANI PONTIFICIS INFALLIBILITATEM

EDITOS LIBELLOS

NEAPOLI

TYPIS VINCENTII MANFREDI

MDCCCLXX.

MONITUM

Quatuor nuperrime typis editi sunt libelli, qui omnes id sibi demonstrandum proponunt, doctrinam, quae tenet, Romanum Pontificem in fidei quaestionibus definiendis errare non posse, aut a veritate sive penitus sive aliquo modo deviam esse, aut anteactorum temporum memoria sive refelli sive saltem non fulciri. Argumenta, quibus eorum auctores potissimum confidere videntur, quam parum efficiant, paucis demonstrare aggredior.

Quod rerum dispositionem spectat, illum sequi visum est ordinem, quem tenuit auctor libelli, cui titulus est: « Observationes quaedam de infallibilitatis Ecclesiae subiecto » (Neapoli 1870), partim quia hoc opusculum primum prodiit, saltem primum in manus mihi incidit; partim quia, dum pleraque, quae ad nostram quaestionem spectant, attingit, occasionem praebet aliorum etiam perlustrandi et refellendi argumenta. Unde etiam retinentur, quos auctor ille suis disputationibus singulis fecit titulos. Reliqua opuscu-

la ab auctoribus inscripta sunt, alterum: « De Summi Pontificis infallibilitate personali » (Neapoli 1870); tertium: « Causa Honorii Papae. Scripsit Carolus Iosephus de Hefele Episcopus Rottenburgensis » (Neapoli 1870); quartum denique: « (Ad instar manuscripti impressum). Quaestio » (loci, ubi typis editum sit, nulla facta mentione).

Singula, quae illis opusculis minus probanda continentur, refellere non est in animo. Quaedam enim cum quaestione, de qua agitur, minus cohaerent; alia sunt huiusmodi, ut refutatione nulla indigere videantur; alia denique disiectis illis, quibus nituntur, et ipsa disiecta sunt.

I.

De quonam quaeratur.

1. Observationum auctor postquam dixit, id minime quaeri, « num Concilium oecumenicum Papa superius sit an non », fatetur, « omnes in eo consentire, quod sancta Sedes, utpote petra, adversus quam portae inferi non praevalebunt, inconcussum sit fidei firmamentum » (p. 2). Non tamen continuo ex eo intulit, quod sequi omnino videbatur, Petro eiusque successoribus id concessum esse, ut, quoties aliquid fide tenendum decernunt, huiusmodi decretum non possit continere errorem. Si enim Ecclesia, in qua ante omnia vera fides servanda est, firma consistere debet per Petrum eiusque successores, quomodo, quaeso, si Petrus eiusque successores in fide docenda deficere possunt, non et ipsa deficeret Ecclesia? Porro, nonne ipsius Ecclesiae in fide tenenda constantia ex eo potissimum demonstratur, quod secundum divinitus promissa portae inferi adversus eam non praevalebunt et quod columna et « firmamentum » veritatis appellatur? Cur ergo, quod Ecclesiam erroris expertem probat in credendo, sanctam Sedem non probet erroris expertem in docendo? Et vero, Concilii oecumenici, quod omnes in fidei decretis infallibile esse profitentur, auctoritas verbis magis explicitis commendari non posset, quam si inconcussum appellaretur « fidei firmamentum ».

ut universam Ecclesiam quid credendum sit doceat, non tantum cum magna fiducia, sed simpliciter i. e. cum integra intellectus submissione obtemperandum est.

Caeterum quae de obedientia dicit, alio in loco (p. 79) uberius evolvit, ac propterea quaestio eo videtur differenda. Hoc unum interim notandum est, non attendi ab auctore ad discrimen ingens, quod interiacet inter obedientiam illam, quae praestanda est in rebus *agendis*, et illam, quae circa res versatur *credendas*. Quae in rebus agendis praestanda est obedientia, *voluntatis* requirit obsequium; quae circa res versatur credendas, obsequium requirit intellectus; fides enim est actus *intellectus*. Unde quum Summo Pontifici in rebus credendis obediendum dicitur, obsequium asseritur intellectus, qui, quod tanquam revelatum ac propterea credendum proponitur, tanquam a Deo revelatum firmissimo assensu amplectatur.

3. Non ita hanc obedientiam depressit auctor libelli, qui inscribitur « de Summi Pontificis infallibilitate personali ». Expositurus illa, « quae citra omnem controversiam apud Catholicos habentur », ingenue fatetur: « Falsum et illicitum esse, Summi Pontificis in rebus fidei et morum definitionibus *externum tantum obsequium* (famosum fors obsequiosum silentium), non vero *internam* subiectionem animi praestare. Num ista interna subiectio sit *obedientiae* an *fidei* assensus, ex obiecto decisionis pendet. *Fidei* assensus ad ea exposcitur, quae a Deo revelata sunt, et tanquam veritas divina ab Ecclesia *credenda* proponuntur, ergo e. gr. quoad sensum alicuius erroris contra fidem vel thesis damnatae; *obedientiae* assensus internus, qui etiam *moralis* vocatur, in aliis factis, quae stricti sensus dogmatica non sunt, e. gr. de sensu illo interno [?], quo scripserit aliquis auctor » (p. 4).

Summa est: fatetur, fideles, sane omnes, quum omnes supremo Pontifici subiecti sint, fidei assensum praestare debere, quoties aliquid ut revelatum seu ut fide tenendum pro suprema sua auctoritate Ecclesiae proponit. Quomodo vero auctor, hoc principio admisso, non illico fateatur, huiusmodi decisiones necessario esse ab errore immunes, hinc Romanum Pontificem in illis edendis infallibilem, id quidem aegre intelligitur. Profecto enim salvis Christi

promissis fieri non potest, ut tota Ecclesia in errorem inducatur seu ad errorem credendum obligetur. Nihilominus id fieri posset, si Summus Pontifex in huiusmodi decisionibus vel semel errori posset esse obnoxius. — Videlicet tam difficile est, illa admittere, « quae citra omnem controversiam apud Catholicos habentur » (p. 3), nec tamen admittere, Summum Pontificem in rebus fidei decernendis errare non posse. Optime auctor noster disputationem suam ab hac gravissima et lucidissima exorsus erat sententia: « Quaestionem attentius distinxisse, fere solvisse eam est » (p. 3), Qui assensum, quem omnes in fidei decisionibus Summo Pontifici debent, ab externo tantum obsequio distinguit, et distincto iterum assensu interno in *obedentiae* et *fidei* assensum; is, si fidei assensum deberi concedit, nunquam negare poterit Summi Pontificis *infallibilitatem,* nisi negata Ecclesiae *indefectibilitate.*

Cum illis, « quae citra omnem controversiam apud Catholicos habentur », parum etiam congruunt, quae auctor in subsequentibus ad eludenda argumenta e S. Scriptura petita affert. Agens enim de illis, quae leguntur apud Matth. (16, 18) et Ioan. (21, 15-17), haec scribit: « Primatum *magisterii*, de quo hic quaeritur, Summus Pontifex profecto quoque et sufficienter exercet, si cum *reliquo Apostolatu*, et non ipse in persona, infallibilis est » (p. 15). An ergo tum solum, quando Summus Pontifex « cum reliquo Apostolatu » aliquid revelatum esse decernit seu credendum proponit, fidei assensus praestandus est? Certe id noluit asserere auctor, quum, « quae citra omnem controversiam apud Catholicos habentur », exponeret. Fatendum igitur, totam Ecclesiam ad falsum credendum teneri posse, si Summus Pontifex in fidei decretis errare possit; et fatendum, non sufficere, Summum Pontificem tantum « cum reliquo Apostolatu » infallibilem esse. — Hinc etiam patet, quam parum proficiat auctor, quum dicit (p. 16), si ex illis locis Summi Pontificis in rebus fidei definiendis infallibilitas deducatur, eodem iure e locis aliis, quibus etiam Episcopis pascendi et docendi potestas tribuitur, eorundem sequi infallibilitatem. Etenim ab Episcopo gregem aliquem particularem in errorem induci, id quidem cum Christi promissis non pugnat; cum iisdem vero pugnat, ut tota Ec-

clesia in errorem ducatur, hinc ut errare possit is, cui totam Ecclesiam pascendi et docendi munus commissum est et cuius decretis omnes fidei debent assensum.

Parum quoque sibi constat auctor, dum illos, qui Romani Pontificis infallibilitatem tuentur, reprehendendos censet, quod « distinctionem maxime inter *sedem Ecclesiamque Romanam et Summi Pontificis personam* abhorrent » (p. 14). Quaero enim: Estne apud Catholicos id tantum « citra omnem controversiam », deberi « Sedi Ecclesiaeque Romanae », dum Pontificum series vel fidelium, qui Romae sunt, multitudo his vocibus designatur, « internam animi subiectionem », non autem ipsis Pontificibus et quidem singulis, quum in rebus fidei et morum aliquid definiunt? Certe auctor indignaretur et quidem merito, si, quod Catholicorum principia expositurusde obedientia Summi Pontificis decisionibus debita dixit, ad obedientiam *seriei* tantum Pontificum vel adeo *populo* Romano debitam trahere vellemus.

Ex hac vel sola ratione liquet, auctorem infeliciter conatum esse argumentum illud subvertere, quod pro supremi Pontificis infallibilitate probanda peti solet e Christi verbis: « Ego rogavi pro te, etc. » Luc. 22, 32. Concedit enim et quidem merito, agi hic de privilegio Petro eiusque successoribus promisso; et concedit pariter, privilegium illud in eo situm esse, ut Petri successorumque fides non deficiat. Veruntamen addit (p. 17): « Promissio vere impleta et *privilegium* custoditum est, dum in B. Petri *Cathedra* vel *Sede* vel *Ecclesia Romana* nunquam defecerit fides, neque defectura est ». Omissis ceteris, duplex semper revertitur quaestio: utrum toti solum Pontificum *seriei*, an *singulis*, dum ad confirmandos reliquos fidei decreta edunt, debeatur obedientia? utrum Ecclesia in vera fide sit perseveratura per seriem tantum saeculorum, an singulis saeculis, decenniis, imo et diebus?

Quum inter privilegium et officium distinxisset, de hoc ita censet: « *Officium* pariter impletum est et implebitur, dum a Sancta Sede Episcopi cum fidelibus in fide confirmantur » (p. 17). Aliud tamen est de officio *implendo*, aliud de privilegio *promisso*. Inde, quod Petro eiusque successoribus tanquam Christi vicariis et omnium

Christianorum doctoribus privilegium, de quo diximus, *promissum* est, sequitur, quoties universam Ecclesiam pro munere docent, eorum fidem non deficere; inde, quod eisdem officium fratres confirmandi *impositum* est, non sequitur, eos semper fideliter id esse impleturos seu negligentia numquam peccaturos. Non enim *promissa* est in munere implendo *diligentia* nec generatim *impeccabilitas*. Idem plane dicendum est de Ecclesia docente generatim praecipueque de Conciliis oecumenicis. His sane promissum est *privilegium*, ut, quoties fidei decreta edunt, non errent. Estne illis promissum, ut *officio* semper bene fungantur ac nominatim, ut de omnibus illis quaestionibus, de quibus expediret, decreta edant, atque haec tam brevi tempore conficiant, quam requireretur, ne ulla Ecclesiae pars detrimentum caperet? Neque ex eo, quod Summus Pontifex per tempus aliquod fidei decretum edere omittit, dum rationes graves id suadent eiusque conscientiam stimulant, continuo sequitur, totam Ecclesiam a fide defecturam aut ad errorem admittendum adigi, quod quidem tum accideret, si vel semel pro veritate doceret errorem. Parum opportune auctor ad Honorii provocat exemplum, de qua ro alio in loco erit sermo.

4. Opusculi « ad instar Manuscripti impressi » auctor e regimine Ecclesiae et potestatis plenitudine quaestionem repetit, dum ita orditur: « Quaeritur, num regimen Ecclesiae sit monarchicum absolutum, an monarchicum temperatum? seu alio modo, num Romano Pontifici concessa sit a Christo Domino *tota omnino plenitudo* potestatis, an concessa sit potissima quidem pars potestatis, sed non tota, ita ut tota plenitudo ecclesiasticae potestatis constet tum ex potestate Romani Pontificis, tamquam elemento potissimo, et ex potestate Episcoporum, tanquam elemento longo inferiore et priori subordinato? » Quum quaestio ab auctore non eo moveatur sensu, utrum Christus voluerit, ut praeter Romanum Pontificem sint in Ecclesia Episcopi, qui etiam pascendi, i. e. imperandi et docendi, potestate praediti sint, sed potius hoc sensu, utrum ipsa potestas sit plena in Romano Pontifice, necne; videri poterat causa decisa. Etenim in confessione fidei a Michaele Paleaologo in Concilio oecumen. Lugdun. II. oblata legimus: « Ipsa

quoque sancta Romana Ecclesia summum et plenum primatum et principatum super universam Ecclesiam catholicam obtinet; quem se ab ipso Domino in beato Petro apostolorum principe sive vertice, cuius Romanus Pontifex est successor, cum *potestatis plenitudine* recepisse veraciter et humiliter recognoscit. Et sicut prae caeteris tenetur fidei veritatem defendere, sic et si quae *de fide subortae fuerint quaestiones,* suo debent iudicio *definiri* . . . Ad hanc autem sic potestatis plenitudo consistit, quod ecclesias caeteras ad sollicitudinis partem admittit » . . . Pariter in Concilii Florentini decreto legimus: « Diffinimus . . . ipsi (Romano Pontifici) in beato Petro pascendi, regendi ac gubernandi universalem Ecclesiam a Domino nostro Iesu Christo *plenam potestatem* traditam esse » . . .

Hisce fortasse decretis motus auctor paulo post (p. 2) concedit: « Certum semper fuit, Romanum Pontificem habere *plenam potestatem* in universam Ecclesiam; sed (addit) non fuit usque ad hunc diem certum, hanc Rom. Pontificis auctoritatem esse eo sensu supremam, ut ex se sola, independenter a quacumque cooperatione et consensu totius Ecclesiae, sit infallibilis ».

Quid vero, si « plena potestas in univeram Ecclesiam » non consistat neque consistere possit absque auctoritate eo sensu suprema, ut ex se sola, independenter a quacumque cooperatione et consensu totius Ecclesiae, sit infallibilis »? Hoc illi, qui nostram doctrinam defendunt, censent certo contineri tum verbis, quibus Christus Petro primatum sive promisit (Matth. 16, 16) sive contulit (Ioan. 21, 15), tum ipsis Conciliorum decretis; neque ultimis tantum tribus saeculis sunt, qui ita censeant; sed communiter ita censuerunt doctores usque ad Constantiensis Concilii tempora, quibus nonnulli, ut in aliis etiam doctrinae capitibus evenit, a communi consensu recesserunt. Praeterea si constat, nulla addita restrictione, « Rom. Pontificem habere *plenum potestatem* in universam Ecclesiam », cur non constat, habere etiam plenam *docendi* potestatem, quum *docendi* potestas sine dubio sit pars potestatis Ecclesiae, imo cum imperandi potestate constituat *potestatem ecclesiasticam totam* seu *iurisdictionis,* distinctam nimirum ab *ordinis* potestate? Et quo-

modo sibi non contradicunt hae duae, quas auctor eadem pagina emittit sententias: « Certum semper fuit, Rom. Pontificem habere *plenam potestatem* in universam Ecclesiam »; et: « non est necesse asserere, collatam fuisse Petro totam omnino plenitudinem ecclesiasticae potestatis? » Si primatus iurisdictionis involvit « plenam potestatem in universam Ecclesiam », cur non involvat « totam omnino plenitudinem ecclesiasticae potestatis », hoc sensu, ut Summus Pontifex in docendo aeque independens sit « a cooperatione et consensu totius Ecclesiae », atque independens est in imperando?

« Sed, inquit, non fuit usque ad hunc diem certum, hanc Rom. Pontificis auctoritatem esse eo sensu supremam, ut ex se sola, independenter a quacumque cooperatione et consensu totius Ecclesiae, sit infallibilis ». Si auctor his verbis id dicere velit, Conciliorum decreta, quae Romano Pontifici tribuunt « plenam potestatem », non tam explicite agere de huius plenae potestatis *partibus constitutivis*, quam de ipsa « plena potestate »; aut inde a Constantiensis Concilii tempore in explicandis illis partibus seu in asserenda illa potestatis parte, quae magisterium attinet, non fuisse tantum consensum, quantus erat in vindicanda *plena potestate ipsa* aut in supremo *imperio*, non est, quod contradicatur; atque haec est ratio, cur plures dixerint, doctrinam, quae Romano Pontifici plenam omnino et infallibiliter docendi potestatem asserit, esse quidem fidei catholicae proximam, non tamen esse de fide catholica, adeoque sententiam oppositam haeresi proximam, non tamen haereticam. Sed quod non est certum fide catholica seu aperta Ecclesiae declaratione vel propositione, id potest esse certum fide divina, quum videlicet argumentis certis in revelatione contineri ostenditur. Unde ex eo, quod doctrina de infallibilitate non eo modo declaratur et proponitur ab Ecclesia, ut, qui illam negant, a corpore suo rescindat, minime inferri continuo potest, doctrinam hanc absolute non esse certam i. e. nullis aliis argumentis certam reddi.

Hinc etiam patet, quam parum legitima concludendi forma utatur auctor. Ex duplice illa sententia (pag. 2) relata, audacter infert: « Ergo Rom. Pontifex non habebat ius, ut sua sola auctoritate independenter a quacumque cooperatione et consensu totius Ecclesiae

dogmata fide divina credenda proponeret; nec fideles tenebantur soli Pontifici sine ullo vel antecedenti vel comitanti vel subsequenti consensu et cooperatione totius Ecclesiae loquenti assensum fidei divinae praestare; ea enim quae ad fidem spectant, nulli dubio obnoxia esse possunt. Ergo haec suprema personalis, ut vocant, et infallibilis auctoritas, utpote non omni ex parte certa, reipsa et quoad exercitium erat nulla ».

Varia hic occurrit rerum confusio, cui similem reperies apud considerationum auctorem (p. 3, 4). Ex eo, quod *infallibilitas* Rom. Pontificis non sit *praevie certa* fide *catholica*, ne id quidem sequitur, etiam ius, huiusmodi decreta ferendi, non esse certum fide catholica. Profecto, concedet auctor: si Concilium oecumenicum declararet, Pontifici competere ius, sine Ecclesiae cooperatione fidei decreta edendi, hoc ius ei inesse constaret fide catholica; nihilominus illa Concilii definitione non esset *praevie* nec, si placet, *explicite simul* declarata Summi Pontificis infallibilitas. Num auctor, si huiusmodi declaratio a Concilio oecumenico ederetur, negare auderet, fide catholica constare, Summo Pontifici competere ius, fidei decreta edendi? Fortasse asseret, in huiusmodi iuris definitione *implicite* definiri infallibilitatem. Non negatur; attamen quod implicite tantum definitur, id non definitur *praevie*.

Sed si concederetur, nec *infallibilitatem* nec *ius* ullis Conciliorum decretis constare, nec esse tempore aliquo circa ius consensum omnino perfectum; ne tum quidem sequeretur, sive infallibilitatem sive ius carere certitudine divina. Quod enim certis argumentis e revelationis fontibus deducitur, id certum est certitudine divina et ab illis, qui in fontibus contineri sine prudenti dubio cognoscunt, fide divina credi potest.

5. Observationum auctor tandem id quaeri ait (pag. 2), « num quaedam de fide moribusque definitio ex eo solo, quod a successore sancti Petri edatur, necessitatem inferat eam ut doctrinam a Deo revelatam amplectendi, ita ut nullo casu in dubium vocari possit, quin Deo obedientia ipsi debita negetur; an vero, num (ipsius sunt verba) fide certa tum demum habenda sit, cum de consensione ecclesiarum constiterit? » Dicere, credo, volebat, id quaeri, utrum

doctrina, quam Summus Pontifex revelatam esse definiat, pro revelata certo habenda et credenda sit; aliud enim est de ipsa *definitione*, quae fit Deo *assistente*, aliud de eius *obiecto* seu de *doctrina* proposita, quae a Deo *revelata* esse dicitur.

6. Quum igitur rei cardo in eo versetur, utrum Summo Pontifici eo ipso, quod aliquid revelatum esse pro suprema sua auctoritate et muneris plenitudine decernat, hoc debeatur mentis obsequium, ut illud tamquam revelatum certa fide admittatur; an vero certa fide tum demum admittendum sit, quum de ecclesiarum consensu constiterit: patet, cosiderationum auctori illisque omnibus, qui hunc consensum requirunt, incumbere onus probandi, illam conditionem necessariam esse. Onus hoc probandi tanto evidentius urget, et argumenta, quibus illius conditionis necessitas demonstretur, tanto validiora et manifestiora sint oportet, quo certius constat, nec Christum in illis locis, ubi Petrum « inconcussum fidei firmamentum » constituit eique fratres confirmandi gregemque pascendi munus commisit, nec Concilia, dum Romanum Pontificem omnium Christianorum patrem et doctorem, Romanamque Ecclesiam omnium ecclesiarum magistram appellant, istiusmodi conditionem addidisse. Certissimum vero est, Romano Pontifici, Petri successori, « plenam potestatem » in universam Ecclesiam, summam omnes fideles docendi potestatem a Christo esse collatam, sicut etiam a Conciliis in eo agnita est, nulla facta mentione consensus aliarum ecclesiarum aliorumve pastorum, qui accedere debeat, ut illi plena submissio debeatur. Invictis proinde argumentis huiusmodi consensus necessitas demonstranda est, non gratuito supponenda aut levissimis rationibus superstruenda.

Porro si e sacrae Scripturae effatis et Conciliorum definitionibus vel generatim e fidei principiis certo colligi constet Summi Pontificis infallibilitatem, parum iuvat, ex historia quaedam argumenta attulisse, quibus eadem in dubium vocari videatur. Poterant huiusmodi argumenta etiam contra quasdam Conciliorum oecumenicorum sententias proferri atque eorundem impugnari infallibilis in docendo auctoritas. Quod de aliis veritatibus revelatis, id etiam de hac, quae nunc in quaestionem vocatur, existimandum est: quidquid

veritati revelatae adversatur, id certo falsum esse tenendum est, licet equidem, cur in se falsum sit, non perspiciam. Neqne necesse est, omnes difficultates adeo clare esse solutas, ut fidelis quilibet hanc solutionem facillime perspiciat. Tanta enim claritas si in aliis fidei capitibus, ut SS. Trinitatis et Eucharistiae mysteriis, exigeretur, usque ad hanc diem definiri non potuissent.

Caeterum quaecumque contra hanc doctrinam obiiciuntur, a pluribus iam saeculis soluta reperiet, quicumque mente tranquilla praestantissimorum Theologorum opera perlustrare voluerit. Non enim de nova nunc doctrina agitur, sed de illa, quae et scientia multipliciter illustrata est et fidelibus, qui Summorum Pontificum de rebus fidei decretis sese submittebant, nota erat. Utinam sinceram hanc obedientiam fidelibus difficiliorem non reddidissent illi, qui tanto studio doctrinam, de qua agimus, oppugnare conati sunt.

« Verum, ita quaerit considerationum auctor (p. 3), an discussioni adhuc locus est? Asseritur, revelatum esse, Petri successoribus divinitus potestatem collatam esse de rebus fidei leges pro universa Ecclesia ferendi [An non idem asseruit auctor noster, quum pagina proxime praecedente sanctam Sedem « inconcussum fidei firmamentum » vocaret eique ex omnium sententia promptam obedientiam deberi fateretur?]: inde vero iusta ratiocinatione inferri, illis decretis falsum subesse non posse: opinionem igitur, quae hanc infallibilitatem neget, merito errorem dici et quidem errorem haeresi proximum. Hac autem demonstratione id, quod probandum est, ut iam probatum supponitur. Quod si fidelibus ut a Deo revelatum tenendum esset, Summos Pontifices potestatem accepisse de fide moribusque leges ferendi, quas absque ulla exceptione sive dubitatione tanquam credendorum et agendorum regulam sequi deberent, manifestum profecto foret, opinionem Pontificum infallibilitatem negantem a recta fide alienam esse; sed circa id ipsum, an hanc potestatem divinitus acceperint, quaestio versatur. » — Plura hic confunduntur, quae probe distinguenda sunt. Aliud est, veritatem revelatam esse; aliud, cognosci, eandem revelatam esse; aliud, id a nonnullis aut a plerisque; aliud, id cognosci ab omnibus, et quidem Ecclesia docente seu proponente cognosci. Qui aliquid revelatum

esse dicit, nondum asserit, id aut a plerisque aut ab omnibus tamquam revelatum cognosci aut ab Ecclesia omnibus diserte proponi credendum. Hinc etiam, qui aliquid revelatum esse dicit, non eo ipso asserit, sententiam, quae id neget, esse haereticam. Haeretica enim sententia illa censetur, quae veritati revelatae et ab Ecclesia propositae contradicit seu, quod aliquo respectu in idem recidit, haeretica est illa, quae a fide communitatis sive fidelium multitudinis recedit. Quum vero satis quidem firmis, attamen non passim agnitis, argumentis constat, sententiam aliquam diserte ab Ecclesia proponi credendam seu ad fidem communitatis i. e. fidem catholicam pertinere, illa fidei (catholicae) proxima, et sententia eidem opposita haeresi proxima esse dicitur. Hinc facile intelligitur, cur Theologi illi, qui doctrinam, de qua agimus, revelatam esse affirmant, doctrinam vero oppositam non illico dicunt haereticam, minime secum ipsis pugnent.

7. Observationum auctor quaestione definita, postquam de Ecclesiae in verbo Dei explicando curis locutus est, haec addit: « Post tot et tantos labores, quae de fidei mysteriis Christianus teneat oportet, omni ex parte declarata et definita sunt ita, ut de eis error, quem dudum ab Ecclesia reiectum esse manifestum non foret, vix emergere possit. Commenta quibus nunc Ecclesia, religio christiana et vitae vere humanae fundamenta oppugnantur, praeambula fidei attinent, et intima cuiusvis hominis conscientia ad ea confutanda testis citari debet » (p. 5). Si hisce vult innuere, nostro tempore non esse errores speciales, qui suprema reiiciendi sint auctoritate, aut non posse esse veritates revelatas, quae explicatione et definitione indigeant, in neutro consentire possumus. Etenim post Concilium Tridentinum multos exortos esse errores, qui magna pertinacia a nonnullis tenebantur et suprema apostolicae Sedis auctoritate rescindendi erant, docet historia. Posse esse veritates revelatas, quae explicatione et definitione adhuc indigeant, pariter intelligitur ex historia, quae docet, veritates, quae, licet definitae non essent, attamen a plerisque aut ab omnibus credebantur, definiendas fuisse postea, quum a nonnullis in dubium vocabantur; imo et alias, quae iam essent declaratae et definitae, iterum declarandas et definien-

das fuisse, propterea quod a nonnulis aut novis difficultatibus obnubilabantur aut in alienum sensum detorquebantur. — Quomodo ad refellenda commenta illa, quibus Ecclesia, religio christiana et vitae vere humanae fundamenta oppugnantur, cuiusvis hominis conscientiam testem invocare sufficiat, non facile patet. Imo si ipsa fidei fundamenta iam impugnantur, Ecclesia, priorum saeculorum exempla secuta, cur non validioribus etiam praesidiis religionis et sui ipsius fundamenta tueatur? cur non declaret verbis minime ambiguis illam, quam a primo suo auctore accepit constitutionem, nostro praesertim saeculo, quum plurimi non illis legibus, quas Deus tulit, regi, sed ad illam normam, quam ipsi sibi statuunt, vitam transigere maxime cupiunt?

8. Auctor idem fatetur, ut quaestio solvatur, « ad sacras litteras recurrendum esse » (p. 6); simulque monet, inquirere necesso esse, quonam sensu Ecclesia ea, quae S. Petro a Domino dicta sunt, inde a primis saeculis intellexerit. Dum tamen ipse historiam potissimum consulit, alius hanc sibi provinciam, Patrum explicationes colligendi, assumpsit.

Dolendum est, ab auctore opusculi « ad instar manuscripti impressi », dum Patrum interpretationes recenset, ducem electum esse non tutiorem, quam est Ioannes Launoyus [1]. Ut pateat, quam fideliter discipulus magistri vestigiis inhaeserit, utriusque verba subiicimus.

De sententia apud Lucam (22.) ita docet auctor opusculi « manuscripti »: « Imprimis quatuor a SS. Patribus et Doctoribus adferuntur interpretationes. *Prima* et solemnissima est, qua asseritur Christus orasse pro Petro, ne tempore suae passionis fidem totaliter et finaliter amitteret. . . resurgeret a lapsu fratresque confirmaret. (Addit postea, hanc interpretationem a *quadraginta quatuor* Patribus et Doctoribus tradi.) *Secunda* est, ne Ecclesia Romana a Petro fundata a fide unquam deficeret. *Tertia,* ne apostolica Sedes a fide unquam deficeret. *Quarta,* ne universalis Ecclesia deficiat, quam Petrus in se repraesentat » (p. 3).

1 Opera omnia, tom. V, part. I, Coloniae Allobrog. 1731.

Launoyus de eodem loco asserit: « *Prima* classis Patrum et tractatorum ecclesiasticorum, qui tradunt, Christum orasse, ut Petrus veram fidem nunquam amitteret, quantumvis tentaretur a diabolo, sed in ea et gratia Dei tam demum perseveraret. » Affert pro hac sententia (p. 72-85) *quadraginta quatuor* « Patres et tractatores, » quorum ultimus est Alexander VII. Hunc illi explicationi adhaesisse, sic conficitur. Alexander VII (a. 1672) Doctores Lovanienses monuit, ut S. Augustini et S. Thomae « inconcussa tutissimaque dogmata semper sequerentur ». *Atqui* S. Augustinus tenet illam explicationem, quam dixi; *ergo* Summus Pontifex voluit, ut et Lovanienses eam sequerentur; *ergo* et ipse eam tenuit. Patet profecto, a Launoyo non exiguam curam repositam fuisse in eo, ut in hanc classem referre posset quam plurimos. « *Secunda* classis . . . qui tradunt, orasse Christum, ut Romana Ecclesia, per Petrum fundata, a fide nunquam deficiat ». Affert (p. 82-87) septem auctores. In hac classe refertur S. Thomas Aquinas, nec tamen Launoyus inde conclusit, esse hanc explicationem pariter Alexandri VII. « *Tertia* classis . . . qui tradunt, orasse Christum, ut Sedes Petri, seu Apostolica Sedes a fide nunquam deficiat » (p. 87-89). « *Quarta* classis . . . qui tradunt, orasse Christum, ut universalis Ecclesia vel etiam universale concilium a fide nunquam deficiat » (89-92).

Simili modo auctor opusculi « ad instar manuscripti impressi » Launoyum sequitur in exponendis verbis apud Matth. *Tu es Petrus*, etc. Quatuor enim classes, quas retulerat iste (p. 101-115), ad amussim refert ille, addit tamen quintam, videlicet eorum, qui asserant, Ecclesiam esse aedificatam super ipsos fideles. In prima classe Launoyus recensuerat *septemdecim;* recenset etiam *septemdecim* auctor noster. In secunda Launoyus numeraverat *octo;* numerat pariter *octo* auctor noster. In tertio Launoyus retulerat *quadraginta quatuor;* refert *quadraginta quatuor* auctor noster. In quarta classe Launoyus collocaverat *sexdecim;* collocat et *sexdecim* auctor noster. In quinta classe Launoyus constituerat nullos; quot collocandi sint, ignorat auctor noster, novit tamen, huiusmodi classem esse.

Ut autem pateat, qua fide in afferendis et Patribus et doctoribus agat Launoyus, notare sufficit, in illorum classe, qui Christi

verbis *Ego rogavi pro te*, etc. id significari velint, rogasse Christum, ut *Petrus* fidem non amitteret, sic ut verba illa *solum* respiciant Petrum, allatum ab eo etiam esse Maldonatum. Hic autem verba illa commentans scribit: « Non dubium, quin ad futuram Petri negationem Christus alludat, sed, ut paulo supra dicebam, longius etiam perspexit... Quod dixit Petro, eius quoque successoribus totique Ecclesiae dictum putandum est, tamque certi esse debemus, successorum Petri totiusque Ecclesiae fidem non defecturam, quam certi sumus, eius, cum tentatus est, fidem non defecisse. Itaque recte ex hoc loco antiqui gravesque auctores colligunt, Ecclesiae Romanae et successorum in ea Petri fidem fore perpetuam. Omnis enim Ecclesiae fides asserebatur in Petro, qui Ecclesiae caput futurus erat... Itaque in persona Petri omnes Petri successores iubet fratres in fide confirmare. Quomodo firmare possent, si errare ipsi possunt?... » Quo ergo iure Launoyus Maldonatum affert ostensurus, locum illum nihil valere pro supremi Pontificis infallibilitate? Videlicet, Maldonatus explicans illa verba: « Tu aliquando *conversus*, » scripserat: « Mihi hebraismus videtur esse, quo repetitio significatur »; dein adiecerat: « Quamquam Ambrosii, Theophylacti et Euthymii interpretatio mihi non displicet, qui *conversum* exponunt a peccato, quo Christum negavit, acta poenitentia, quasi aliis de suo vulnere fecerit medicinam ». Ex hoc infert Launoyus (p. 84): « Sic videtur eam revocare aut certe minus certam habere sententiam » (videlicet verba illa etiam de Petri successoribus intelligenda esse). Praeclara demonstratio, quasi a verbo illo *conversus* penderet loci momentum!

Utinam opusculi manuscripti auctor dixisset, Launoyum electum a se esse ducem! Prima statim fronte apparuisset omnibus, quanta fides testimoniis, quae affert, sit habenda.

Duo tantum ex opusculi auctore quaerere liceat: 1. Existimatne vere, loci alicuius sensum evadere dubium, si plures eius sensus afferantur, quorum alter cum altero cohaereat, alter ex altero sequatur? Profecto non affirmabit. Intelligantur igitur illa verba: *Ego rogabo pro te* proximo de Petro, sed de Petro Apostolorum Principe; tunc recte intelliguntur non tantum de Ecclesia Roma-

na, sed etiam de Ecclesia universa, quia, quod de Petro tanquam capite intelligendum, id etiam intelligendum de successoribus, hinc de Ecclesia Romana et de Ecclesia universa per Petrum eiusque successores in fide confirmanda. 2. Existimatne vere, explicationes illius loci: *Tu es Petrus,* etc., ita inter se dissidere, ut ex illis firmum argumentum pro Petri *primatu* confici iam non possit? Si affirmaret, contra ipsum amplius disputandum non esset; etenim hac de re inter *catholicos* non movetur quaestio. Si negat; etiam nos negabimus, infringi quod ex illis petitur pro infallibilitate argumentum.

Et vero diversas inter se explicationes ipse conciliaturus scribit (p. 4): « Fides ita est fundamentum Ecclesiae, quatenus proponitur et explicatur ab Apostolis, quorum caput et coryphaeus erat Petrus, super quo praecipue, tanquam primo fundamento, fundata sit Ecclesia, *quique Petrus propter primatus principatum totum in se repraesentabat Ecclesiam...* Ipse est principale fundamentum Ecclesiae, *quod alios Apostolos ut secundaria fundamenta in se repraesentat:* et ideo... super ipsum Petrum caput et coryphaeum superque alios Apostolos ipsi capiti ut membra unitos, vel super ipsum Petrum caput *totum collegium apostolicum repraesentans,* vel super collegium apostolicum *in Petro ut in suo capite reassumptum aedificatur Ecclesia* ». Si Petrus « totam in se repraesentabat Ecclesiam »; si ipse solus « alios apostolos in se repraesentat »; si Petrus solus « totum Collegium apostolicum repraesentat »; si in Petro « ut in suo capite Collegium apostolicum reassumitur »; annon sequi omnino videtur, totum collegium apostolicum et totam plenitudinem potestatis apostolicae esse in Petro, Petrum proinde posse solum, quod potest cum Collegio apostolico simul? Profecto, si « Concilium oecumenicum totam Ecclesiam repraesentat » et vel ideo in fidei decretis errare non potest; cur non idem valeat de Petro (et quolibet eius successore), qui fatente auctore « totam in se repraesentabat Ecclesiam »? Quo igitur iure auctor eadem, quae implicite hic concedit, aliis locis adeo impugnat? Videlicet quam difficile est, primatus conceptum servare salvum, nec tamen concedere Summi Pontificis infallibilitatem; tam difficile

est, infallibilitatem negare, nec tamen minuere primatum. Quid vero iudicandum est de doctrina, cuius patroni sibi nec constant nec constare possunt?

Opusculi « manuscripti » auctor non parum labitur, dum e Scripturae testimoniis argumenta petit. Adductis (p. 2) hisce locis: « *Ecce vobiscum sum*... Spiritus Sanctus *suggeret vobis omnia* » etc., ita concludit: « Ergo probatum est: omnia quae adscribuntur Petro, adscribi quoque Apostolis ». Si intelliguntur Apostoli reliqui, Apostoli praeter Petrum, certe dici non potest, quaecunque tribuuntur Petro, eadem et reliquis tribui Apostolis. Etenim Petro sine dubio id tribuitur, ut totius Ecclesiae sit caput; num idem etiam reliquis tribuitur Apostolis? Neque prior sententia satis corrigitur, quum auctor addit: « Sed illud inter Petrum et alios Apostolos intercedit magnum discrimen, quod privilegia, quae apostolis simul sumptis adscribuntur, eadem Petro prae ceteris, soli Petro magnificentius et solemnius adscribuntur ». Quaero enim iterum: num etiam reliquis Apostolis eorumque successoribus tributum est, ut in universam Ecclesiam primatum habeant, « soli Petro magnificentius et solemnius? »

Si auctor dixisset: quaecumque tribuuntur Petro soli, eadem tribuuntur Petro cum reliquis Apostolis simul; aut: quaecumque tribuuntur Apostolis cum Petro iunctis seu Petro et reliquis Apostolis simul, eadem tribuuntur Petro soli; non contradixisset illis, quae alibi ab eo statuta vidimus, et secutus esset auctores catholicos, qui, dum contra Protestantes Petri primatum tuentur, hac ratione ostendunt, eundem ex eo non minui, quod etiam alii sint pastores. Quidquid enim reliquis dicitur, id dicitur eisdem uti Petro subordinatis. Hic autem loquendi modus minus opportunus erat auctori nostro. Si enim quidquid potestatis tributum est toti Apostolorum sub Petro constituto Collegio, id tributum est Petro soli, an non sequi videtur continuo, quum totum sub Petro constitutum eique iunctum Collegium in rebus fidei infallibile ferre possit iudicium, id etiam a Petro solo ferri posse?

II.

Unitatis fidei Martyrum temporibus custodia.

1. Quid hoc capite considerationum auctor demonstrare potissimum intendat, paucis hisce verbis comprehendere videtur: « Ecclesiarum etiam remotissimarum de doctrina inter se consensio fidelibus aevi apostolico supparis securum erat pignus, veritatem ab Apostolis traditam illibatam se tenere; ideo universalitatem, in qua unitas vigeat, cognomine Ecclesiae imposito conspicuam reddiderunt » (p. 7). Si revera nihil aliud dicere intendit, nisi omnium ecclesiarum consensum esse veritatis argumentum, non enunciavit, nisi quod est in confesso apud omnes. Ecclesia enim est « columna et firmamentum veritatis », nec tota unquam a veritate deficere potest; hinc quamprimum de Ecclesiae in dogmate aliquo consensione constat, pariter constat de illius dogmatis veritate.

2. Ex eo autem, quod ecclesiarum consensus certum sit verae et apostolicae doctrinae argumentum, minime sequitur, hunc consensum aut *unicam* esse, aut, quamvis de se *invictum* semper praebeat argumentum, pro omni tempore et rerum conditione *idoneam* esse detegendae veritatis viam. Non quidem existimamus, auctorem in eo unicam voluisse viam constituere; attamen ut omnis, quae in eius disputatione deprehendi forsan possit, ambiguitas removeatur, apertis id verbis declarandum censemus.

Et vero, non esse unicam detegendae veritatis viam, inde iam elucet, quod non tantum Ecclesiae corpori integro, e diversis quasi membris conflato, in vera fide perseverantia competat, sed etiam episcopis cum Romano Pontifice simul spectatis, i. e. membris praecipuis capiti suo iunctis. Hisce enim se usque ad consummationem saeculi affuturum Christus ex hoc mundo abiturus promisit. Hinc theologi docent, Episcopos, licet per orbem dispersos, cum Romano Pontifice tamen eadem sententia conspirantes, infallibile exercere magisterium. Ex quo patet, ut obiter hoc tangamus, fideles, dum de Episcoporum Romano Pontifici iunctorum doctrina ipsis

constat, non moralem tantum, sed absolutam, divino scilicet effato nixam, habere certitudinem de doctrinae illius veritate.

Ecclesiarum consensum non esse idoneam semper deprehendendae veritatis rationem, facile colligitur tum ex eo, quod saepe per se valde est difficile cognitu, quid omnes ubique ecclesiae per orbem dispersae credant, tum ex eo, quod moveri possunt quaestiones de rebus obscuris et implicatis, quae minus notae sint plerisque fidelibus, imo etiam Episcopis.

3. Potest igitur accidere, quod docet auctor, ut Episcopi in Concilium coeant et quid tenendum sit decernant. Quum vero totum Episcoporum in Concilio congregatorum munus ad hoc reducit, ut *testimonium* perhibeant, *iudicandi* autem munus ad hoc, ut, quod veritati adversatur, error declaretur [1]; iudicandi munus nimis restringere et Episcopos cum fidelibus reliquis quodammodo confundere videtur. Et vero ad factum aliquod *mere attestandum*, non singularis requiritur auctoritas seu potestas, sed nuda sufficit rei cognitio. Episcopis autem *potestatem*, cui fideles sese debeant submittere, concessam esse novimus, quum illis gregem pascendi, hinc docendi, munus collatum est. Qui autem pro *potestate* docet, is iudicat, tum quid verum sit tum quid falsum. Nemo caeteroquin est qui nesciat, Episcopos in Conciliis congregatos existimasse, se vere iudicare sive quid verum esset sive quid falsum, quum fidei decreto *definientes* subscriberent. Non raro etiam quaestiones propositae erant huiusmodi, ut simplice testimonio dirimi non possent, quod tum potissimum accidere solet, si agitur de rebus, quae neque Scriptura sacra neque traditione *clare* exhibentur. Unde etiam Concilium Tridentinum [2] cum eoque Concilium Vaticanum [3] docet, Ecclesiae esse « *iudicare* de vero sensu et interpretatione Scripturarum sanctarum. » Itaque Episcopi non catenus solum iudicant, quatenus errorem, qui veritati testimonio confirmatae adversatur,

1 « Dum per testimonium veritatis exhibitum id, quod ei refragatur, ceu error declaratur, et hoc ipso condemnatur: testimonium iudicii naturam induit (iudices fidei). » Pag. 9.

2 Sess. IV.

3 Constitutio de fide catholica, cap. 2.

reiiciunt, sed etiam qualenus, quis Scripturae et traditionis sensus sit, pro potestate edicunt fidelibus.

4. Auctor de « unitatis fidei Martyrum temporibus custodia » agens non totam rationem, qua fides custodita sit, exhibuit. Reticuit illam, quae in quaestione, ad quam solvendam conferre volebat, maxime est momenti. Scripsit quidem (p. 10): « Singularis ponderis habebatur testimonium ecclesiarum ab ipsis Apostolis fundatarum, prae omnibus vero Romanae Ecclesiae, cui gloriosi Apostolorum principes Petrus et Paulus totam doctrinam cum sanguine profuderunt, quam ceterarum omnium principatum tenere nemo catholicorum dubitabat ». Omisit autem praeclarum illum locum, quo S. Irenaeus, de variis demonstrandao apostolicae doctrinae viis disserens, Ecclesiam Romanam nobis commonstrat additque: « Ad hanc enim Ecclesiam *propter potiorem* (al. potentiorem) *principalitatem* necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est, eos, qui sunt undique, fideles; in qua semper ab his, qui sunt undique, conservata est ea, quae est ab Apostolis, traditio ». Neque integrum loci huius sensum tunc exhibuit, quum scripsit: « Iam S. Irenaeo 1 certum erat, in Ecclesia a duobus gloriosissimis Apostolis fundata et reliquis cunctis praeposita traditionem apostolicam intemeratam conservari. Confidentia Romanorum, fidem eandem esse, quam Petrus et Paulus annunciaverint, tunc eo augebatur, quod inter eorum praeconium et praesens tempus paucae generationes intererant; procul dubio Romae habebantur Christiani, quorum avi Apostolos viderant et de eis nepotibus narraverant » (p. 80). E *primatu* Romanae Ecclesiae (« *propter potiorem principalitatem* ») S. Irenaeus rationem repetit, cur omnes in fide convenire *debeant* cum Ecclesia Romana. — Mitto, ab auctore pariter allata non esse, quae ad rem dilucidandam facerent, imprimis Corinthiorum exempium, qui S. Clementem, Romanum Pontificem, licet longe dissitum, invocaverant, ut lites ipsorum dirimeret, quod et fecit Clemens, teste S. Irenaeo 2, « potentissimis » scriptis epistolis « reparans fidem eorum ».

1 Adversus, haer. lib. III, cap. 3.
2 Ib.

III.

Concilia universalia et Sancta Sedes.

1. Optandum sane erat, ut auctor clarius exprimeret, quam deniquo certitutinem ex ipsius sententia in fidelium mentibus pariat Ecclesiae doctrina eiusve do rebus fidei decretum, moralem tantum et humanam, an absolutam et divinam? « Neminem, inquit, fugere poterat, ad certitudinem omnibus exoptatam brevissimam (?) patere viam, quando tantus Episcoporum numerus congregatus esset, ut collecto eorum testimonio consensus totius Ecclesiae luculenter ostenderetur » (p. 12). Quaenam est haec certitudo omnibus « exoptata »? Si de certitudine divinitus *promissa* sermo fieret, omnis tolleretur ambiguitas. Neque haec tollitur, quum auctor, postquam de Synodo I Nicaena egit, sic concludit: « Unius igitur Synodi ope Ecclesiae do impugnata doctrina consensus plenissimo probatus est: quod fidelium animos intime commovit » (p. 13). Neque omnem dubitandi rationem excludit, quum do Synodis scribit: « Tanquam infallibiles testes veritatis revelatae in Ecclesia depositae, atque supremam de rebus sacris constituendi potestatem habentes summo omnium consensu agnitae fuerunt » (p. 13). Non enim exprimitur, haecce infallibilitas sitne divina, exorta e Spiritus Sancti assistentia, an humana, qualis hominum testimonio debilis conditionibus vestito tribui quandoque potest.

2. Quum auctor totus in eo sit, ut e consensu omnium ecclesiarum *testimoniis* probato certitudinem educere velit, non parum difficultatis experitur in reddenda ratione, cur absque Romani Pontificis confirmatione Concilia nulla plenum habeant valorem. « Prout capite, inquit, corpus, ita Concilium universale Summo Pontifice indiget; quantocumque numero Episcopi congregati fuerint, de fidei deposito testimonium, quod omnem dubitationem excludat, edere seu leges universalem Ecclesiam obligantes condere non sufficiunt, nisi ab eis decreta vel in ipso Concilio vel postmodum a successore S. Petri adprobata et confirmata fuerint » (p. 13, 14). Cur, quaeso, si to-

ta res pendet a testimonio, cur unius Romani Pontificis testimonium tanti est ponderis, ut, hoc uno non accedente, catholicae doctrinae attestatio non habeat locum, etsi, dum Episcoporum non unius tantum, sed plurium quoque provinciarum testimonium deest, historia teste Concilium oecumenicum vim plenam obtinere potest? Sed nimirum, non solo testimonio, ut iam diximus, sed etiam *iudicio* fidei declarationes, definitiones et decreta, prout ex ipsis iam vocibus patet, in Ecclesia fiunt; iudicio, inquam, cui, utpote a potestate divinitus concessa lato, tota Ecclesia, quae in errorem induci nequit, se submittat oportet. Ecclesia enim non imperii tantum seu leges ferendi, sed magisterii quoque seu docendi potestate pollet; cuius magisterii vis non plene agnoscitur ab illis, qui rem totam ad solum testimonium trahere volunt. An magisterium, quod potestate divinitus concessa nititur, forsitan propterea deprimitur, quia nimis facile patet, illic esse plenitudinem magisterii, ubi imperii plenitudo seu potestas, pro universa Ecclesia leges ferendi, viget?

3. « Oecumenicum Concilium nequaquam Parlamentum esse », auctor hac etiam sententia probare nititur: « quia ad decretorium in rebus fidei iudicium requiritur, ut omnium ecclesiarum consensus pateat, ad quem demonstrandum necesse est, ut unanimis sive ferme unanimis sit Patrum consensus » (p. 14). Hanc, quae ad defendendam famosam « Cleri gallicani declarationem » invecta est, theoriam adoptans dicere omisit, num, errore aliquo exorto et condemnando, ad decretorium ferendum iudicium etiam illorum Episcoporum, qui errori adhaerent, requiratur sententia, qua nimirum sibi ipsi anathema dicere debeant. Pariter explicare omisit, si omnium ecclesiarum requiratur consensus et unanimis aut ferme unanimis Patrum sententia, qua ratione fiat, ut, Concilio oecumenico legitime convocato et a Summo Pontifice approbato, etsi dimidia aut tertia tantum omnium Episcoporum pars aut minor etiam numerus interfuerit, fidei decreta, quam primum promulgata sunt, omnes obligare incipiant, aliarum ecclesiarum aut reliquorum Episcoporum consensu minime expectato. Neque explicuit, si sententia, quam protulit, vera sit, quo iure sive in primis Conciliis sive in ipso Concilio Tridentino fidei decreta edita sint nequaquam unanimi aut ferme

unanimi Episcoporum, qui aderant, praestito consensu. Caeterum hac de re sermo recurret, quando illius Patris, cuius testimonium maxime invocatur, verbis illa sententia refellenda erit.

4. Libelli « manuscripti » auctor, dum pro unanimi sententia pugnat, totum ipse suum evertit systema. Postquam de iis, quae Hierosolymis in Apostolorum Concilio evenerint, egit, haec addit: « ut omnibus futuris generationibus constaret, et quaenam sit regula Concilii habendi et nonnisi unanimi Episcoporum consensione (consensioni?) promissum fuisse et praesentem esse Spiritum Sanctum, qui Ecclesiam Christi in omnem veritatem inducit » (p. 22). Num revera auctor exsitimat, si unus alterve Seniorum Petri et apostolorum sententiae non consensisset, charisma infallibilitatis illi praesto non futurum? — Sed admittamus, quod auctor asserit, quid sequitur? Quod ipse minime vellet. Primum illud Concilium sit regula omnis futuri Concilii! Quomodo, quaeso, unanimis ille consensus ortus est? « Quum magna conquisitio fieret, surgens Petrus dixit: « Viri fratres, vos scitis, quoniam ab antiquis diebus Deus in nobis elegit, per os meum audire gentes verbum Evangelii et credere.... Nunc autem quid tentatis Deum, imponere iugum super cervices discipulorum », etc. « Tacuit omnis multitudo.... » (Surrexit Iacobus et Petri sententiam probavit et scripturae locis confirmavit). « Tum placuit Apostolis et senioribus cum omni Ecclesia, eligere viros ex eis, etc. » Act. XV. Ecce quomodo communis ille consensus obtentus sit! Petrus ad singularem suam vocationem provocat, quid agendum sit, edicit; reliqui accedunt. Si haec est « regula Concilii habendi », requiratur sane unanimis omnium sententia; sed conficiatur etiam illo, quo in primo Concilio factum est, modo. Quum enim ab initio « magna conquisitio fieret », quam primum locutus est Petrus et pro auctoritate, quid sequendum esset, edixit, « tacuit omnis multitudo », et reliqui Apostoli Petri sententiam confirmarunt. Mirum est, non vidisse auctorem, quantopere illa, quae pro sua sententia adducit, sibi adversentur.

Idem vero, *unanimem* requiri in Conciliis sententiam, e Conciliorum et Pontificum effatis probari existimat. In hanc rem affert verba illa, quibus Iustinianus imperator, Patribus auctoribus, videlicet

Orientalibus, Vigilium Pontificem invitaverit: « Sacerdotes decet *communibus* quaestionibus finem *communem* imponere »; dein illa S. Coelestini ad Synodum Ephesinam scribentis: « Docebat ille, qui in Apostolis suis se confirmat audiri (Luc. X). Haec ad omnes *in commune* Domini sacerdotes mandatae praedicationis cura pervenit ».... « Ex hac, inquit, epistola S. Coelestini patet, supremum iudicium, quod Spiritus Sanctus inspirat, in unanimi Episcoporum consensione cum suo capite a Christo collocatum esse » (p. 22-23).

Sed quis non videat, labi auctorem? « *Finis communis* imponendus » et *cura*, quae « ad omnes *in commune* sacerdotes pervenit », non est *unanimis consensio*. Quo iure voci « communis » substituere licuit vocem « unanimis »? voci « finis » aut « cura » vocem « consensio »? Et quum e S. Coelestini sententia sacerdotibus omnibus « in commune » cura docendi demandata sit; sequiturne, si pauci aut multi munere sibi demandato aut prorsus non funguntur aut male, id, quod reliqui docent, vim non obtinere? Haec tam aperta sunt, ut immorari pigeat.

5. Sed idem libelli « manuscripti » auctor etiam hoc probandum sibi sumpsit, Concilium oecumenicum illa, quae Sedes Romana supremo suo iudicio iam definiverit, novo posse subiicere iudicio; indeque concludit, ut iudicium de fidei quaestionibus vere sit supremum, Episcoporum requiri consensum (p. 28). Sine dubio Episcopi sunt iudices; et tunc quoque vere sunt iudices, quum veritatem ab alio Concilio oecumenico iam definitam denuo definiunt. Iudex enim in rebus fidei ille est, qui pro *potestate* edicit, quid sit verum, quid falsum. Ad huiusmodi autem iudicii naturam minime requiritur, ut, qui sententiam fert, pro libitu falsum esse pronunciare possit, quod verum cognoscit. Profecto, iudices esse non desinunt Episcopi, quum de veritate pronunciant, quam S. Scriptura contineri evidenter cognoscunt. Ipsa eorum, quam pronunciant, adhaesio ad veritatem in Scriptura revelatam est iudicium. Cur ergo eadem adhaesio ad Pontificis iam latam sententiam non sit iudicium? Hinc autem patet, ex eo, quod Concilium veritatem a Sede apostolica iam pronunciatam denuo pronunciat, tam parum sequi, Concilio de sententiae apostolicae firmitate non constitisse,

quam ex eo, quod Concilium sententiam ab alio Concilio iam pronunciatam iterum pronunciat, sequitur, prioris Concilii iudicium non fuisse firmum. Neque tunc, si sententia iam pronunciata novis confirmatur rationibus, concludere licet, prius firmam non fuisse creditam. Numquid S. Iacobus S. Petri sententiam, nisi postquam Scripturae pro eadem attulit testimonia, firmam non credidit?

Auctor noster, qui communis imo et unanimis consensionis necessitatem nunquam satis sibi videtur posse urgere, eo tandem abripitur, ut hanc proferat sententiam: « Neque enim promissiones Christi implentur, nisi adsit tota Ecclesia docens, cui hae promissiones factae sunt » (p. 23). In quo, quaeso, Concilio tota adfuit Ecclesia docens, videlicet omnes simul Ecclesiae catholicae Episcopi? An omnia ergo Concilia, quamdiu non omnium Episcoporum consensus accesserat, vi sua carebant? Quis unquam catholicus id affirmare ausus sit? — De aliis rebus huc spectantibus capite proximo offertur disserendi occasio.

IV.

Doctrina de catholicae veritatis criterio temporibus sanctorum Patrum.

1. « Absque Successore S. Petri definitio, quae regula fidei immobilis et irreformabilis sit, fidelibus nullatenus proponi potest; ast iuxta Patrum Ecclesiae sensa nec sine ecclesiarum consensione sufficienter manifestata constituitur » (p. 15). Ecce sententia, quam considerationum auctor paucorum Patrum locis demonstrandam sibi sumpsit.

Imprimis vero notandum est, dum Patres de aliqua veritatis detegendae via agunt, non illico licitum esse concludere, eos praeter hanc nullam aliam novisse aut ullam aliam esse negare. Omnium ecclesiarum i. e. tum Episcoporum tum fidelium seu Ecclesiae *docentis* et *audientis* in aliqua re consensio sine dubio demonstrat, veritatem illam esse catholicam et credendam. An quis inde concludet, solius Ecclesiae *docentis* consensum non esse veritatis cri-

terium? Concilii oecumenici a Summo Pontifice approbati auctoritas est irrefragabilis; num inde sequitur, Episcoporum per totum orbem sparsorum, dum simul cum Romano Pontifice in dogmate quocunque conspirant, auctoritatem non esse irrefragabilem? Qui Concilii oecumenici auctoritatem praedicat, num illico censendus est dicere, *soli* Concilio oecumenico deberi mentis obsequium?

Praeterea advertendum est, licet plures declarandae veritatis modi eadem vi polleant interna, non tamen semper eadem auctoritate pollere externa. Episcoporum per orbem dispersorum simul cum Romano Pontifice idem docentium auctoritas in se quidem irrefragabilis est; nihilominus si eodem loco congregati simul cum Romano Pontifice doctrinam aliquam enunciant, maius quasi pondus iis accedere videtur maiorque auctoritas externa ad comprimendam obloquentium pervicaciam. Unde etiam, qui Supremi Pontificis in quaestionibus fidei decidendis auctoritatem docent esse irrefragabilem, semper confessi sunt, propter rationes externas quandoque Concilium oecumenicum dici posse necessarium.

2. Ex his, quae diximus, satis apparet, quam parum ad id, quod auctor sibi proposuit, demonstrandum valeant illa, quae e Patribus nonnullis affert. Imo quod de S. Leone M. multis prosequitur (p. 19-21), comprobat omnino id, quod diximus, a sancto Pontifice Concilium non existimatum esse absolute necessarium, ut legenti patet; neque aliud evincunt S. Leonis verba.

Quum vero S. Cypriani exemplo demonstrare nititur, Romani Pontificis in fidei quaestionibus decidendis auctoritatem non fuisse habitam irrefragabilem, suis se telis conficit. « Cyprianum, ait, praeter pietatem erga eam, a qua fidem susceperat, Ecclesiam ardens quoque haereseos repellendi studium agebat; cum autem clarissimi viri sanctitatem et conscientiae fidem addubitare non liceat, quod si sanctae Sedis de fide decreta ab omni errore divinitus praemuniri credidisset, S. Stephani ordinationi certo acquievisset » (p. 18). Huic argumentationi vim omnem iam ademit auctor, quum paulo superius (p. 9.) scripsit: « Quum Iudaeorum ad Christum conversorum non pauci affirmarent, Christianos e gentilibus collectos ad circumcisionem suscipiendam omnemque legem mosaicam

observandam teneri; Petrus ac plures Apostoli una cum Senioribus convenero Hierosolymis. . . . *Unusquisque* Apostolorum ea Sancti Spiritus assistentia gaudebat, qua ab omni in fidei rebus *errore immunis* redderotur; ad removendas vero Christianorum, qui ex circumcisione erant, *obiectiones* Apostoli consentaneum duxerunt, ut consensus ipsorum clarissime commonstraretur ». Si igitur, licet Apostoli singuli docentes a veritate deficere non possent, quod et miraculis patratis palam omnibus faciebant, Christianorum « obiectiones » et tergiversatio praevidebantur; quid mirum, si S. Cyprianus, licet Romani Pontificis auctoritatem de se sufficere minime dubium esset, obedientiam detrectando, teste S. Augustino, maculam suscepit?

Sed novo se telo conficit auctor, dum argumenti urgendi studio ita pergit: « Stephanus Episcopos Asiae minoris de haereticorum baptismo errantes a communione sua removit *vel certe in eo erat,* ut hanc in eos sententiam ferret. Attamen Dionysius Magnus, Episcopus Alexandrinus, precando et obtestando institit, ne Pontifex Ecclesiam scinderet. De Cypriani caussa ad Sixtum I, Stephani successorem, et Philemonem presbyterum Romanum literas dedit et effecit, ut Africae Ecclesiis paulo ante Cypriani martyrium communio cum sancta Sede restitueretur, *quin tamen errorem,* quo detinebantur, *corrigerent* » (p. 18, 19). S. Stephanus igitur Asiae et Africae Episcopos, licet haereticos rebaptizandi usum retinerent, ab Ecclesia non abscidit. Quid inde? Patet profecto, licet illorum usum redargueret, fidei tamen declarationem edere et totam causam decretoria sententia finire noluisse: connivendo interim humanae infirmitatis rationem habuerunt Pontifices, donec tandem in Concilio Niceno I causa definita est. Nunc etiam patet, quam parum id, quod auctor vellet, efficiant S. Augustini verba: « Neque nos tale aliquid auderemus asserere, quale Stephanus iussit, nisi Ecclesiae catholicae concordissima auctoritate firmati, cui et ipse (Cyprianus) sine dubio cederet, si iam illo temporo veritas eliquata per plenarium Concilium solidaretur » (p. 17). Haec, quum scriberet S. Augustinus, veritas eliquata erat plenario Concilio; a S. Stephano eliquata non fuerat, quia, ut eius agendi ra-

tio commonstrat, aliorum precibus adductus decretoria sententia eam definire noluerat.

Postquam notissima Vincentii Lirinensis verba adduxit auctor, in gravissimam hanc et prope tragicam prorumpit sententiam: « Quatuordecim exinde saecula elapsa sunt, ast verborum istorum vis imminuta non est; veritas enim, quam proclamant, catholici cuiusvis praecordiis altissime haerat » (p. 21). Quid ergo? An quis negat, verissima esse, quae scribit Vincentius? « In ipsa item Ecclesia catholica magnopere curandum est, ut id teneamus, quod ubique, quod semper, quod ab omnibus creditum est. Hoc est etenim vere proprieque catholicum, quod ipsa vis nominis ratioque declarat, quod omnia fere universaliter comprehendit. Sed hoc ita demum fiet, si sequamur universitatem, antiquitatem, consensionem »? Auctor vero noster aperte supponit, Vincentium scripsisse, *solo consensu* deprehendi doctrinae veritatem, aut id *solum* esse catholicum, quod ubique, quod semper, quod ab omnibus creditum est. Hoc enim si non supponeret, peccaret contra primas ratiocinandi leges, dum ita pergit: « Si autem doctrina ideo catholica est, quia in omnibus ecclesiis tam praesentis quam anteacti temporis viguit vigetque, ac proinde certitudo, eam a Deo revelatam esse, consensionis ecclesiarum manifestatione adquiritur, testimonium ab Ecclesia Romana exhibitum summi quidem faciendum est, veruntamen solum certitudinem illam non efficit » (p. 21). Quis ita auderet concludere: Si SS. Trinitatis mysterium ideo constat esse revelatam, quia in sacra Scriptura refertur; non ideo revelatum esse constat, quia traditione docetur! Et nihilominus simili prorsus modo concluderet auctor, nisi supponeret, Vincentium Lirinensem scripsisse, illud *solum* esse catholicum, etc. Mirum pariter est, ab auctore supponi, secundum Vincentii principia, ut aliquam doctrinam catholicam esse constet, necesse esse, eam « *viguisisse* et *vigere* in omnibus Ecclesiis tam *praesentis* quam *anteacti* temporis, » quum tamen contrarium plane doceat Vincentius. Quaerit enim inter alia, quid agendum fuerit illo tempore, « quando Arianorum venenum paene orbem totum contaminaverat » [1], ita ut omnium illius temporis ecclesiarum con-

[1] Commonit. cap. 6.

sensus nullus esset. Caeterum ad veritatem deprehendendam non requiri e Vincentii mente *omnium* tum *praesentis* tum *praeteriti* temporis ecclesiarnm consensum, neque generatim ad *solum* consensum, sed etiam ad magisterii supremi auctoritatem confugiendum esse, id vel ex hoc solo eius loco cognosci poterat: « Quid si novella aliqua contagio non iam portiunculam tantum, sed *totam pariter Ecclesiam* commaculare conetur? Tunc item praevidebit (catholicus), ut *antiquitati* inhaereat, quae prorsus iam non potest ab ulla novitatis fraude deduci. Quid si in ipsa vetustate duorum aut trium hominum vel certe civitatis unius aut etiam *provinciae* alicuius error deprehendatur? Tunc omnino curabit, ut paucorum temeritati vel inscitiae, si qua sunt universaliter antiquitus *universalis Concilii decreta* proponat 1 ».

3. Facile ostendi potest, ipsos illos sanctos Patres, quos pro sua sententia affert auctor, nedum contradicant, apertissime etiam favere doctrinae, quae apostolicae Sedis in quaestionibus fidei decidendis infallibilitatem profitetur. Atque ne a Vincentio discedamus, is ita scripsit 2: « Haec omnia licet cumulate abundeque sufficerent ad profanas quasque novitates obruendas, tamen ne quid deesse tantae plenitudini videretur, ad postremum adiecimus geminam *apostolicae Sedis* auctoritatem: unam scilicet sancti Papae Xysti, qui nunc Romanam Ecclesiam venerandus illustrat; alteram praedecessoris sui beatae memoriae Papae Caelestini, quam hic quoque interponere necessarium iudicamus . . . Quibus *apostolicis catholicisque decretis* quisquis refragatur, insultet primum omnino necesse est memoriae sancti Caelestini, qui statuit, ut desineret incessere novitas vetustatem; deinde irrideat *definita* sancti Xysti, qui censuit, ne ultra quidquam liceat novitati » etc. — Auctor incassum imminuere conatus est (p. 21) S. Leonis verba scribentis: « Quae (Deus) nostro prius ministerio *definierat*, fraternitatis universae irretractabili firmavit assensu, ut vere a se prodiisse ostenderet, quod prius a prima omnium Sede formatum *totius christiani orbis*

1 Ib. c. 4.
2 Ib. c. 43. Max. bibl. tom. VII, p. 263.

iudicium recepisset [1]. Si Summo Pontifici idem, quod Conciliis, competit, scilicet ut fidei questiones *definiat*, et quidem ita, ut totus orbis christianus eius definitionibus sese submittere debeat; profecto eadem, qua illa, pollet interna auctoritate.

Opusculi « manuscripti » auctor multum momenti in eo videtur reponere, quod S. Leo de causa Eutychetis ad synodum scripserit, Imperatorem voluisse, ut haberetur « Episcopale Concilium, *ut pleniore iudicio omnis possit error aboleri* » (p. 26). Quo sensu Concilii *plenius* dici possit iudicium, facile intelligitur. Omne, si quod esse posset, dubium discutitur his eiusdem S. Leonis ad Theodosium Augustum litteris [2]: « Licet Eutyches, quantum gestorum episcopalium ordo patefecit, *imperite atque imprudenter errare detectus sit*, debueritque a sua, quae merito reprobatur, persuasione discedere; quoniam tamen pietas vestra, quae in honorem Dei religiosissime catholicam diligit veritatem, constituit synodale iudicium, *ut imperito seni ea, in qua nimis caligat, veritas innotescat*: fratres meos Iulium Episcopum et Renatum Presbyterum et filium meum Hilarium diaconem misi, qui ad vicem praesentiae meae pro negotii qualitate sufficerent... Quid autem catholica Ecclesia universaliter de sacramento dominicae incarnationis credat et doceat, ad fratrem et coëpiscopum meum Flavianum plenius continent scripta, quae misi ».

Si haec Leonis verba perpendisset opusculi « manuscripti » auctor, profecto intellexisset facile, quam leve sit argumentum, quod a repetita in Concilio eiusdem rei tractatione depromere conatur, et quam inani labore S. Leonis effata pro suprema et infallibili S. Sedis in docendo auctoritate ad alium sensum detorqueat. De convincendo agebatur « imperito sene, in veritate nimis caligante, » qui tum antiquitatis testimonio tum Episcoporum doctrina, imprimis vero S. Leonis litteris iam dudum convinci poterat et debebat. Sed etiam hic scriptori accidit, quod alias ei accidisse vidimus, ut, quae laboriose construere conatus erat, ipse disiiceret.

1 S. Leon. epist. 120, cap. 1.
2 *Mansi*, t. V, p. 1391.

Postquam enim adduxit illa S. Leonis Christum loquentem facientis verba: « Tamen tu quoquo petra es, quia mea virtute solidaris, ut quae mihi potestate sunt propia, sint tibi mecum participatione communia » (p. 28); ita pergit: « Intelligenda sunt de Petro, ut capite membris unito; de Petro, *quatenus in ipso ut in supremo vertice et coryphaeo totum collegium apostolicum insertum et comprehensum erat* ». Si vero « totum collegium apostolicum in Petro insertum et comprehensum » est, Petrus solus potest id, quod cum ipso potest totum collegium apostolicum. In sua potestatis ecclesiasticae theoria parum sibi constat auctor, theoriae, credo, vitio, non suo.

Operam etiam perdidit considerationum auctor in elevando celeberrimo S. Augustini testimonio: « Iam enim hac de causa duo concilia missa sunt ad Sedem apostolicam. Inde etiam rescripta venerunt, *causa finita est*, utinam aliquando finiatur error 1 ». Non ex erroris apertissima cum fide christiana pugna, sed ex apostolicae Sedis in rebus fidei decernendis auctoritate S. Doctor petebat argumentum; et quis dixerit, intricatissimas de gratia quaestiones, quas suscitaverant Pelagiani, nonnisi errores exhibuisse omnibus passim apertissimos? Caeterum si erroris evidentia Summi Pontificis auctoritatem minueret, nonne et Chalcedonensis Concilii infringeretur auctoritas, quod, ut S. Leo non semel dicit, in re prorsus aperta et nequaquam dubia contra Eutychetem protulit iudicium?

S. Cyprianus 2 quid de Romanae Sedis magisterio censuerit, satis indicavit, quum scriberet: « Post ista adhuc insuper pseudo-episcopo sibi ab haereticis constituto navigare audent et ad Petri Cathedram atque ad Ecclesiam principalem, unde unitas sacerdo-

1 Serm. 132, n. 10. Auctor libelli « de Summi Pontificis infallibilitate » (p. 19) ad eludendum hoc testimonium ita scribit: « Dum Augustinus dicit: *Roma locuta est, causa finita est,* de causa loquitur, quam Episcopi *suo iudicio pertractatam* ad Summi Pontificis approbationem miserunt ». Videtur ergo concedere, Summum Pontificem infallibilem esse, dum concilii *particularis* decreta confirmat. Si ita est, revera multum, imo, si rem in se spectas, totum concedit.

2 Epist. 55 (al. 54) ad Cornel.

talis exorta est, a schismaticis et profanis litteras ferre, nec cogitare, eos esse Romanos, quorum fides Apostolo praedicante laudata est, et *ad quos perfidia non possit habere accessum* ».

4. Auctor idem non parum laborat in obedientia Pontificum decretis exhibita aut exhibenda. Asserit enim (p. 23): « Ex eo autem, quod Summorum Pontificum de fide moribusque decreta irrefragabilia non haberentur, nequaquam sequitur, auctoritatem, quae animos ad pronum assensum moveat, eis defuisse ». Assensus pronus, qui Pontificis auctoritati in rebus fidei praestatur, sine dubio assensus fidei existimandus est. « Non defuit, ait, (auctoritas) tot conciliis particularibus, quae Augustini usque tempore rectam fidem decretis suis explicaverunt et defenderunt ». Concilia particularia quandoque a fide aberrarunt. Id quidem ideo non repugnabat, quia errore suo non totam inficiebant Ecclesiam, quam a fide non defecturam esse Christus promiserat. Quid vero, si Summi Pontificis decretis, quae sane non ad solum occidentem pertinebant et historia teste non pro solo occidente ferebantur, error inesse potuisset? Nonne, saltem quod *factum* attinet, totam errore infecissent Ecclesiam, quum auctor asserat, e sua doctrina « nequaquam sequi, auctoritatem, quae animas ad pronum assensum moveret, eis defuisse »? Parum iuvat, quod ad minuendam videlicet Pontificis in quaestionibus fidei auctoritatem, ibidem addit, « Pontificibus consuetum fuisse, de negotiis gravioribus haud absque Concilio coacto decernere ». Huiusmodi concilia erant particularia; unde non ex illis repeti potest auctoritas, quae omnium animos « ad pronum assensum moveret ».

Dolendum sane est, quod observator hoc firmum prae oculis non habere consuevit principium, Ecclesiae videlicet divinitus promissum esse, ut a fide vera non deficiat neve unquam pro veritate amplectatur errorem; facilius sane perspexisset, exigui momenti esse difficultates omnes, quas contra Apostolicae Sedis in fidei decretis infallibilitatem congerit.

V.

Summi Pontificis Concilii Chalcedonensis causam agentes.

1. Hunc titulum observator fecit disputationi, qua infringere conatur argumentum validissimum, quod theologi depromere solent ex celeberrima illa formula, quam Hormisdas Papa Episcopis Orientis, Acaciano schismati implicatis, signandam tradidit, quae revera ab omnibus Orientis Episcopis et, quod minime praetereundum, in Synodo VIII ab Episcopis tum graecis tum latinis signata est [1]. Solemne hoc documentum, Concilii oecumenici consensu munitum, auctor nobis exhibendum censuit hisce verbis: « Attamen Successoris S. Petri infallibilitatem sexto iam saeculo ab universa Graecorum Ecclesia iam agnitam fuisse, nonnulli documentis certis probari posse opinantur; id enim contineri putant declaratione, quam Episcopi patriarchatuum orientalium, ut ad Ecclesiae Romanae communionem admitterentur, Hormisdae Papae obtulerunt. Gloriosa est haec sanctae Sedis de haeresi ac schismate victoria... Multum quoque ad Summi Pontificis iura demonstranda valet: etsi ad inerrantiam eius probandam nihil conferat » (p. 24).

2. Ut facilius pateat, id quod auctor asserit, utrum verum sit an falsum, simulque ut innotescat, an illa formula, quod e disputationis inscriptione coniicere pronum esset, tantum de « Concilii Chalcedonensis causa » agatur, verba quae ad rem nostram faciunt, hic subiicimus. « Prima salus est, regulam rectae fidei custodire et a constitutis Patrum nullatenus deviare. Et quia non potest Domini nostri Iesu Christi praetermitti sententia dicentis: Tu es Petrus etc. Haec quae dicta sunt, rerum probantur effectibus, quia in Sede apostolica immaculata est semper custodita religio. Ab hac ergo spe et fide separari minime cupientes et Patrum sequentes in omnibus

1 Parum refert, quod in actis *graecis* Concilii VIII prima et ultima pars, quae Sedem Romanam respicit, hodie non reperitur. Fraude sublatam esse, testis est Anastasius bibliothecarius, qui Concilio interfuerat. *Labbe*, t. X, p. 498.

constituta, anathematizamus omnes haereticos, praecipue Nestorium haereticum... Euthychetem... Quapropter suscipimus et approbamus omnes epistolas Leonis Papae universas, quas de Religione Christiana conscripsit. Unde sicut praediximus, sequentes in omnibus Apostolicam Sedem et praedicantes omnia eius constituta, spero, ut in una communione vobiscum, quam Sedes apostolica praedicat, esse merear, in qua est integra et verae Christianae religionis soliditas. Promittens etiam sequestratos a communione Ecclesiae catholicae, id est, non consentientes Sedi apostolicae, eorum nomina inter sacra non esse recitanda mysteria ».

Auctor noster hanc formulam explicaturus, verbis illis : « Non potest praetermitti » etc. penitus neglectis, solum quae sequuntur: « Haec rerum probantur effectibus » etc. attendit, dum continuo prosequitur : « Hoc Arianae iam litis tempore factis indubiis comprobatum est » (p. 27). Itaque assertionem adeo solemnem, quae, dum primo Christi *promissionem* exhibet, *ius* demonstrat, et dum de « rerum effectibus » agit, ipsum ius *facto* comprobat, auctor noster ad solum *factum* trahere nititur, iure penitus praetermisso. Insuper ipsum factum diminuere conatur duplice ratione. Tacite adoptata Gallicanorum distinctione inter *sedem* et *sedentem* seu Pontifices singulos eorumque seriem, ait: « Liberius exilii aerumnis fractus est ; Romana tamen Ecclesia fidem Nicaenam intemeratam retinuit ac ipse antequam moreretur, cordis sui sensa etiam coram Episcopis orientalibus patefecit ». Deinde ut Ecclesiae Romanae seu Pontificum *auctoritati* substituat *consensum* ac proinde illam deprimat, ita prosequitur: « Sed recordari iuvat, quod tam in agitationibus turbisque illis, quam in communionis restitutione de Chalcedonensi definitione, ergo de doctrina agebatur, quae manifesto Ecclesiae universalis consensu stabilita erat ».

Ut postremam formulae partem : « Unde sequentes in omnibus apostolicam Sedem » etc. infringat, hanc addit explicationem : « In patulo est, haec praecipue ad doctrinam de incarnatione referri, propter quam unam Ecclesia graeca inde a septuaginta annis tot tantisque procellis conquassata fuerat. Facile longiendum est, reliquas fidei catholicae veritates non excludi ; quod autem Graeci se

obstrinxerint, imposterum controversia quadam de fide exorta, de ecclesiarum consensu non curare [!!], sed Romanum Pontificem supremum fallique nescium rei iudicem agnoscere, a vero penitus discrepat » (p. 28).

3. Si hanc fidei formulam ad merum factum et ad tempus praeteritum solum restringere licet, nullum iam Concilii cuiusvis decretum in tuto est. Diserte enim in hac formula ratio prima, cur in fidei quaestionibus ad Romanae Sedis iudicium accedere oporteat, petitur e Christi promissione: « Quia non potest Christi praetermitti sententia » etc. Eo ipso autem, quod iuri factum additur, ius negari, id asserere vel supponere ille tantum potest, qui ex eo, quod Ecclesiae consensus indagandae veritatis sit via, concludere potuit, praeter hanc viam non esse aliam.

Sed quod auctori non semel accidisse vidimus, ut nimirum principiis primum statutis ipse contradiceret, idem hac in disputatione ei accidit. Quum formulae tanto in honore apud Catholicos semper habitae vim omnem infringere non auderet, ab initio de eadem disserens generose largitus erat: « Multum quoque (haec formula) ad Summi Pontificis *iura demonstranda* valet » (p. 24). Ergone de *iuribus*, et non tandum de *factis* haec formula agit? Iura, quaeso, a Christo concessa Petro num praeterita solum tempora spectant, an etiam futura? Nimirum viderat, hac formula exprimi *primatum* Romani Pontificis, primatum autem non ad praeterita modo tempora restringi posse. Sed, quod alias iam monuimus, difficile est, profiteri principia apud catholicos inconcussa, nec tamen profiteri Romani Pontificis in fidei decretis infallibilitatem. Et vero nec Graeci nec tota Ecclesia de mero facto aut de solo tempore usque ad Hormisdam Papam elapso illa formula agi censuerunt, quod tunc maxime patuit, quum in Concilio oecumenico VIII innovata est, pro Nestorio et Eutychete insertis Photio aliisque recentioris temporis haereticis.

4. Vim totam, quae Horsmidae formulae inest, ut elidat auctor noster, quid agit? « Quod autem Graeci, ita *asserit*, se obstrinxerint, imposterum controversia quadam de fide exorta, de ecclesiarum consensu non curare [!!], sed Romanum Pontificem supremum falli-

que nescium rei iudicem agnoscere, a vero penitus discrepat. Certe Hormisdas de ee ne cogitavit quidem, neque sanctae Sedi alia quam Gelasius vindicavit » (p. 28). Cur Hermisdas et Graeci non cogitaverint de ille, quod fermulae verba clare centinent? qued ipsa ratie, qua ducti cemmunionem cum Remana Ecclesia illi flagitarunt, nimirum « ad fidem salvam praestandam Pontificum Romanorum auxilio », omnino postulabat? quod in Cencilie oecumenice VIII ad cumdem finem opportunum iudicabatur?

Sed Hormisdas Papa « sanctae Sedi nen alia quam Gelasius vindicavit ». Quid erge Gelasius Papa eidem vindicavit? Amplissimis verbis tuitus est Romanerum Pontificum in universam Ecclesiam primatum. Sed ebservater ex quibusdam Gelasii verbis cencluserat, « Synodorum statuta, quae universalis Ecclesiae prebavit assensus, et exequi et custodire prae caeteris ad Sedem Romanam spectare ». (p. 26). Sine dubie fidei decreta, quae approbarunt, illa et tuebuntur Romani Pentifices, et quidem — hanc eius rei causam in ipso epistelae principie reddiderat Gelasius — « sapientissime praevidentes, quoniam, si decreta salubriter cuiquam liceret iterare, nullum contra singulos quesque errores stabile subsisteret Ecclesiae constitutum, ac semper iisdem fureribus recidivis omnis integra definitio turbaretur » [1]. Ex illo autem assensu, quem commemorat, si quis cencluderet, Cenciliis, ut plenam vim habeant, accedere debere tetius Ecclesiae i. e. emniuum fidelium assensum, certo et pastores subiiceret ovibus, et causam *essendi*, prout loquuntur Philesephi, cenfunderet cum causa *cognoscendi*. Ex hoc, qued tota Ecclesia Cencilium aliqued tanquam oecumenicum agnoscit, nen tamen ex hoc sele, Concilii auctoritas *cognoscitur*; Summi autem Pontificis approbatione ad decreta accedente eorundem auctoritas primum *constituitur*. Quae Gelasii mens fuerit, satis indicant haec, quae eadem epistola protulit verba: « Queniam sicut id, quod prima Sedes nen prebaverat, constare non potuit, sic *quod illa censuit iudicandum, Ecclesia tota suscepit* [2] ».

1 *Mansi*, tom. VIII, p. 50.
2 Ib. pag. 55.

Hormisdam Orientalibus « fidei regulam » praescribere voluisse et hanc fidei regulam ex illius mente non esse tantum fidem a Synodo Chalcedonensi declaratam, sed, prout vel solus sententiarum nexus indicat, « Sedem Apostolicam », id clare patet e turbarum illius temporis historia, ut vel a nostro auctore texitur. Docet enim, turbis illis effectum esse, « ut praeter Illyricum, quod ad Patrarchatum Romanum spectabat, omnis imperii orientalis Ecclesia a *Sanctae Sedis communione* separaretur » (p. 25). Non de haeresi tantum, sed de aperto etiam *schismate* agebatur. Porro « quum non deessent, qui conquererentur, Ecclesiae tantam *scissionem* absque iusta causa illatam esse, Gelasius I epistola ad Episcopos Dardaniae data principia, quae Sancta Sedes Acacium condemnans secuta esset, adcurate exposuit [in qua de *primatus* etiam *iuribus*]. (Iustinus I) henoticon abrogavit. Attamen sedes Episcopales fere cunctas viri occupabant, qui henotico nomen dederant, et populus catholicus intelligebat, quod ad *fidem*, quam tenebat, *salvam praestandam Pontificum Romanorum auxilio indigebat;* unde non sine tumultu postulabat, ut communio cum Sede apostolica quantocius restitueretur » (p. 26. 27). Quid nunc pronius erat quam concludere, Hormisdam, ut catholicorum desideriis satisfaceret, proposuisse formulam, in qua de suprema Sedis Romanae, cui se submittere omnes deberent, auctoritate ageretur, ac proin ediceretur, regulam, « qua ad fidem salvam praestandam indigebant », esse Romanam Sedem? Auctor vero dum ad solum *factum* et ad tempus *praeteritum* omnia restringit, populo catholico, in Sede Romana praesidium, non utique pro tempore praeterito, sed pro praesente et futuro flagitanti, non satisfactum esse implicite asserit. Disputationem hanc inchoans dixerat, professionem fidei, quam Graeci Hormisdae formula ediderunt, recte diiudicari non posse, « nisi rerum, quibus Graeci ad eam praestandam inducti sunt, ratio habeatur » (p. 24). Rerum habita ratione longe etiam apertius patet, agi de consensu, quem omnes Romani Pontificis de fide decretis habere debeant.

Nunc etiam intelligitur, cur eadem formula, quae contra Acacianum schisma remedium parare et « fidem salvam praestare »

debebat, in Concilio oecumenico VIII denuo proposita sit, ad Photianum videlicet schisma tollendum et « fidem salvam praestandam ». Intelligitur simul, cur, ubi non de aperto schismate, sed de haeresi solum agebatur, Ecclesia in fidei formulis non fecerit mentionem « regulae fidei » seu supremi magisterii, quod competit Sedi apostolicae.

Demum si verum esset, quod asseri audivimus, Hormisdam nihil aliud vindicare Sedi Romanae, quam quod eidem vindicaverat Gelasius, non esset exiguum, quod vindicat. Praeter illa enim, quae ex eodem de praevio primae Sedis iudicio a tota Ecclesia suscepto iam attulimus, haec insuper scribit: « Sed nec illa praeterimus, quod Apostolica Sedes frequenter, ut dictum est, more maiorum, etiam sine ulla Synodo praecedente, et absolvendi, quos Synodus inique damnaverat, et damnandi nulla exsistente Synodo, quos oportuit, habuerit facultatem. Sanctae memoriae quippe Athanasium Synodus orientalis addixerat, quem tamen exceptum Sedes apostolica, quia damnationi graecorum non consensit, absolvit ». Recenset alia exempla, in quibus pariter de fidei quaestionibus agi constat 1.

5. Auctor, dum Liberii lapsum (de quo quam parum constet, norunt omnes) tanquam indubium commemorat, satis innuit, agi hic de distinctione inter Sedem et Sedentem; *Sedi* Romanae, non singulis Pontificibus tribui in vera fide docenda constantiam seu infallibilitatem. Gallicanorum haec est celebrata distinctio. Quae enim apud Veteres occurrit distinctio inter Sedem et Pontificem, eo tendit, aut ut viri, qui Petro successit, humilitas distinguatur a muneris celsitudine, aut ut successionis perpetuitas ostendatur, dum mortuo alteri alter succedit. Nullibi vero tradiderunt, ab errore in docendo immunem esse Sedem, non Sedentem, nec proferre huiusmodi sententiam poterant, qua admissa non manet salva Ecclesiae in vera fide constantia.

In illa distinctione inter Sedem et Sedentem tanquam in tutissima arce sese etiam continet auctor libelli « de summi Pontificis infalli-

1 *Mansi*, ib. p. 54.

bilitate », dum scribit: « Tutissime eos (qui Romani Pontificis infallibilitatem docent) provocare licet, ut textus afferant, qui edicunt, infallibilitatem vel immunitatem ab errore, quae de Sede dicitur, *etiam de unoquoque Pontifice, si solus definiat, valere* » (p. 18). Quasi vero, dum Patres sine ulla restrictione loquuntur, non illi, qui restrictionem et conditionem addit, sed illi, qui verba sensu obvio intelligit, probandi necessitas incumbat! Quid vero, si quis contenderet, *Ecclesiae* Romanae et *Sedi* apostolicae primatum competere, id quidem e Patrum testimoniis, Pelagii Papae litteris et Hormisdae formula constare; sed probandum omnino esse, quae illic edicuntur, valere etiam de *unoquoque* Pontifice, et quidem tunc, si *solus* aliquem ab Ecclesiae communione rescindat!

Mirum plane est, quod idem auctor addit, dum eosdem provocat, ut « textus afferant, qui edicant, si decisiones infallibiles a Summo Pontifice eduntur, eas editas esse vel edi *sine praecedente vel subsequente consensu Episcoporum vel Conciliorum* ». Sine *subsequente* consensu! Libentissimo largientur imo et contendent, quos provocat, *semper* subsequutum esse consensum Episcoporum vel Conciliorum; et subsequutum esse, quia subsequi *debebat*. Nam fatente eodem auctore (p. 4), Summo Pontifici, rem revelatam esse decernenti, debetur fidei assensus; unde Episcopi et Concilia semper huiusmodi decretis assentiuntur. Hinc etiam patet, quam parum ex hac doctrina sequatur, membra avelli a capite; non avelluntur, quia ad assensum capiti praestandum obligantur eumque praestant.

VI.

Lis de tribus capitulis.

1. Notissima est « de tribus capitulis » controversia. Orientales postulabant, ut damnarentur Theodorus Mopsuestenus, Theodoretus et Ibas, quos Chalcedonensis Synodus damnare noluerat. Occidentales, timentes fraudem et suspicantes fidem ipsam Chalcedonensem in discrimen vocari, damnationi obsistebant. Vigilius, a Iu-

stiniano imperatore compulsus, « iudicato » tria damnavit capitula. Mox, permotus turbis, quibus ipsius decretum ansam praebuerat, « constitutum » edidit, quo, damnatis erroribus, a personis ipsis iudicandis abstinuit et abstineri voluit.

Episcopi graeci, iubente Iustiniano I, convenerunt ad Synodum V, quae fuit Constantinopolitana II, cui nec per se nec per legatos adesse voluit Vigilius Papa. Episcopi, non curantes Pontificis prohibitionem, de tribus capitulis iudicium tulerunt. Huic acquiescere noluit Vigilius, usque dum in exilium pulsus mutavit sententiam et confirmavit acta Synodi V. Magnum eius agendi ratio motum excitavit inter Occidentales, quorum plures a Pontificis communione recesserunt, falso existimantes, violatam esse fidem Chalcedonensem. Hinc observatoris conclusio, neque Graecis neque Latinis tunc temporis de Summi Pontificis infallibilitate in fidei decretis edendis persuasum fuisse.

2. Quod rem attinet, tota in se quaestio erat de personis, non de fide. Sic enim vir, Vigilii postea in Sede apostolica successor, S. Gregorius M., scribit ad Constantinum Episcopum Mediolanensem: « De illa autem Synodo, quae in Constantinopoli postmodum facta est, quae a multis quinta nominatur, scire vos volo, quia nihil contra quatuor sanctissimas Synodos constituerit vel senserit; quippe quia in ea de personis tantummodo, non autem de fide aliquid gestum est; et de his personis, de quibus in Chalcedonensi Concilio nihil continetur, sed post expressos canones facta contentio et extrema actio de personis ventilata est 1 ».

Et vero, id unum agebatur, utrum expediret nec ne solemni iudicio damnare illa scripta aut auctores. Res erat, quae ad prudentiam spectaret, quum de doctrina ipsa nulla esset controversia. Si graves utrimque diverso tempore videbantur esse rationes, mirum non est, Vigilium diverso tempore diversum tenuisse agendi modum. Qui errorem, de se quidem reiiciendum, propter rationes ab opportunitate petitas non censet solemniter damnandum, aut doctrinam, quam certam ipse declarat, propter easdem rationes ab oppor-

1 *Labbe*, tom. VI, p. 875.

tunitate petitas non censet solemniter declarandam, numquid ille continuo condemnandus est erroris? Sed nimirum quum de Romanis Pontificibus agitur, pondere et mensura uti licet, quae si ad alterius cuiuslibet acta et scripta diiudicanda adhiberentur, de aequitate et iustitia laesa unusquisque conquereretur. Neque, ut opusculi « manuscripti » auctor censet (p. 30), de facto dogmatico hic agitur; non enim, ut dixi, controversia erat, scripta illa *in se* num orthodoxa essent nec ne. Vigilius Papa id approbat, quod approbaverant Patres Chalcedonenses. Hi autem non approbaverunt *doctrinam illorum trium capitulorum;* sed Theodoretum et Ibam tanquam catholicos agnoverunt, postquam *mentem suam explicuerant et doctrinam catholicam professi erant.* Neque quidquam attulit auctor, quo ostenderet, a Vigilio declaratam esse Ibae epistolam *in se ipsa* orthodoxam, i. e. orthodoxam sine orthodoxa, quam Ibas in Concilio Chalcedonensi reddiderat, suae *mentis* explicatione et professione, ab quam explicationem et professionem Patres Chalcedonenses ab ipso Iba damnando abstinuerant. Hoc ita esse, vel ex ipsius Vigilii patet Constituto: « Propterea ergo disciplinam atque iudicium sanctorum Patrum nos in omnibus conservantes et rerum omnium dispositionem secundum eam, quam reddimus rationem ex Chalcedonensis Synodi iudicio declaratam, cum satis apertissima luceat veritate, ex verbis epistolae viri venerabilis Ibae *rectissimo ac piissimo intellectu perspectis*... et ex ipsius Ibae Episcopi *praesentis a praesentibus intentione discussa*, patres nostros in Chalcedone residentes iustissime *orthodoxam eiusdem viri* venerabilis Ibae Episcopi pronunciasse *fidem*, et reprehensionem beati Cyrilli, *quam humanitus per errorem intelligentiae evenisse cognoverant, congrua satisfactione purgatam:* praesentis sententiae nostrae auctoritate statuimus, atque decernimus, cum in omnibus, tum etiam in saepius memorata venerabilis Ibae epistola intemeratum patrum in Chalcedone residentium manere *iudicium* 1 ». — Iam per se patet, quo iure exclamet opusculi « manuscripti » auctor: « En Vigilius Pontifex Rom. definit ex cathedra, *epistolam* (?) Ibae fuisse susce-

1 *Mansi*, tom. IX, pag. 101, 102.

ptam a Chalcedonensi Concilio et ideo *orthodoxam* (?) et ut talem ab omnibus habendam.... et tamen oecumenica Synodus definit, hanc sententiam esse erroneam, et ipse Vigilius retractat! Quid evidentius! » (p. 30). Nihil evidentius quam hoc, de *hominum*, i. e. Theodoreti et Ibae, *fide* actum esse, non vero de ipsorum trium capitulorum doctrina, hinc quoad doctrinam non esse ullam pugnam inter Vigilium et Synodum V. — Num auctor revera existimat, si eadem regula, qua ipse in Vigilii loco interpretando utitur, ipsius opusculum « manuscriptum » diiudicaretur, se tam facile defendi et purgari posse, quam defendi potest Vigilius?

3. Sed ex eo, quod plures vanis rationibus ducti putaverint, quaestionem fuisse de fide, observationum auctor concludit, eos non credidisse, « prorsus impossibile esse, ut Petri successor quidquam fidei perniciosum constitueret » (p. 33). Cur vero iidem, si vane putaverint, quaestionem fuisse de fide, non potuerint etiam vane credere, Pontificem aliquid fidei perniciosum constituisse? Caeterum in multorum agendi ratione ne nimium insistat auctor. Qui Vigilio succensuerunt vel eum definitis veritatibus contradixisse putaverunt, iidem etiam Concilium oecumenicum V, a Pontificibus confirmatum, in eundem existimaverunt impegisse scopulum. An ergo Concilium oecumenicum in fide errare posse ex eo inferet, quod plures Occidentales illud errasse crediderint? vel Pontifici non competere ius confirmandi Concilia ex eo inferet, quod plures Pelagio I indignati sint propterea, quod Concilium V confirmaverat? Certe inde, quod Occidentales plures a Vigilii eiusque successorum communione per tempus satis longum recesserint, et quod totus paene Oriens ab Ecclesia Romana postea defecerit, non concludet, Ecclesiam Romanam non obtinere primatum. Praeterea quis nescit, homines cupiditatibus abreptos saepissime contrarium agere illis, quae agenda esse iudicant?

4. Sed Pelagius I, pluribus hac de re litteris agens, « nuspiam provocat ad inerrantiam successoribus S. Petri divinitus concessam; sed fidei professionem scripto et oretenus edit et paratum se ostendit omni poscenti rationibus satisfacere » (Observ. p. 31). Profecto! Ipsa Summi Pontificis fides in dubium vocabatur ab hominibus schi-

smatis spiritu infectis, et ad suam inerrantiam provocare debuisset? Nonne profitendo, se sentire cum Concilio Chalcedonensi, optime refellebat dicentes, se huic eidem Concilio contradicere? Neque hac ratione professus est, sive Ecclesiam sive unius alteriusve provinciae Episcopos esse iudices de fide Summi Pontificis. Aliud est, Superiorem, subditorum infirmitati consulentem, rationem, cur ita egerit, ultro reddere; aliud, Superiorem ad rationem subditis reddendam teneri.

5. « Epistola, quam Columbanus ad Bonifacium scripsit, luculenter commonstrat, in Hibernia haud viguisse persuasionem, Pontificem in rebus fidei nunquam errare posse ». Ita considerationum similiterque opusculi « manuscripti » auctor; et olim iam « defensio declarationis Cleri gall. » ex hac epistola contra Rom. Pontificis infallibilitatem argumenta colligere tentaverat. Quomodo? Quia Columbanus scripsit: « Forte non bene vigilavit Vigilius ». Interim tamen concedit opusculi « manuscripti » auctor (p. 31), Columbanum « nullam de integritate fidei Rom. Pontificis habuisse suspicionem ». Cur id non concederet, quum S. Columbanus praeter illa, quae libelli scriptor affert, etiam hoc dicat, esse calumniatores, qui Rom. Pontificis fidem vocent in dubium, eumque hortetur, ut damnet illos, qui audent « infamare fidei orthodoxae Sedem principalem? » Quae ergo societas S. Columbano cum scriptore nostro?

S. Columbanus quid senserit, satis patet ex hisce eius verbis [1]: « Ego pro vobis promisi, quod nullum haereticum Ecclesia Romana defendat contra catholicam fidem; sicut discipulos, ita docet sentire de Magistro... Quidquid dixero aut utile aut orthodoxum, vobis reputabitur; laus enim magistri in discipulorum suorum doctrina est... *Non enim rivo puritas*, sed *fonti* reputanda est... Ut ergo honore Apostolico non careas, conserva fidem Apostolorum, confirma testimonio, robora scripto, muni Synodo, ut nullus tibi iure resistat... Haereticorum enim receptio, ut audio, vobis reputatur, *quod absit credi verum fuisse, esse vel fore*. Dicunt enim, Eutychen, Nestorium, Dioscorum, antiquos, ut scimus, haereticos, a

1 Max. bibl. Pat. t. XII, p. 28.

Vigilio in Synodo, nescio qua, in quinta receptos fuisse. Ecce causam totius, ut aiunt, scandali... *Nos devincti sumus cathedrae S. Petri;* licet enim Roma magna est et vulgata, per istam cathedram tantum apud nos est magna et clara... Quidam litteris suis vos mihi cavendos significavit, tanquam in Nestorii sectam decidentes: et iuxta meam bonam de vobis aestimationem (ego enim *credo semper columnam Ecclesiae firmam esse in ramo* [*Roma*] 1) responsum variavi ». Ita S. Columbanus. Mirum sane est, si quis ex eius epistola argumentum contra S. Sedis infallibilitatem elicere velit.

VII.

Honorii ad Sergium epistolae.

1. In Honorii causa toties agitata, ut argumentum contra apostolicae Sedis infallibilitatem ex ea erueretur, ante omnia demonstrandum erat, Honorii ad Sergium epistolas in sensum a catholico dogmate alienum non modo trahi posse, sed etiam sensu orthodoxo *exponi non posse*. Id enim officii exhibendum est Honorio Pontifici, quod nulli viro probo et honesto negatur, ut videlicet eius verba sensu sano exponantur, quamdiu de perverso non constat; imprimis autem haereseos nota non facile inurenda est cuipiam. Et vero quum quis a Verbo assumptum esse *hominem* dicit, Nestorianum id quidem videri possit; an ergo ubicunque pro assumpta *humanitate* hominem assumptum legimus, Nestoriana haeresis suspicanda est? Sententiis quibusdam multi olim recte usi sunt, quibus postea, quia haeretici illas in suum converterunt sensum, abstinendum est.

2. Caeterum nullum facessunt negotium Honorii ad Sergium epistolae, modo tota, quae iis continetur doctrina, et Pontificis mens, ipsis literis satis expressa, attendatur.

1 In Bibl. Patr. et edit. *Migne* legitur *in ramo*. Ut e contextu, in quo de plurium vocabulorum etymologia agitur, facile constat, alludit S. Columbanus ad derivationem vocis *Roma*.

Reiecta imprimis ab Honorio est falsa Sergii argumentatio, in Christo propterea unam (naturalem) admittendam esse voluntatem, quia, si duae in eo essent voluntates, altera alteri esset contraria; illique assertioni ab Honorio opposita est haec vera sententia, in Christo non fuisse voluntates contrarias, quia in eo non fuerit perversa concupiscentia. Atque id sufficiebat edixisse, quum tota Sergii argumentatio eo convelleretur.

Postquam epistola priore dixit Honorius, a Verbo assumptam esse carnem « manentibus utrarumque naturarum differentiis », ita pergit: « Unde et *unam voluntatem* fatemur Domini nostri Iesu Christi, quia profecto a divinitate assumpta est nostra natura, non culpa; illa profecto, quae ante peccatum creata est, non quae post praevaricationem vitiata ». (In subsequentibus uberius evolvit hanc sententiam, in Christo nullam fuisse concupiscentiam, non « legem aliam in membris »). Verba illa: « una voluntas » adeo nunc impugnata, quo sensu sunt accipienda? Scriptor quilibet verba sua, quum de se non satis clara sunt vel in controversiam vocantur, e sermonis contextu et ex argumentis, quibus sententiam suam fulcit, exponi cupit. Secundum hoc principium explicanda etiam sunt illa, quae maxime urgentur, Honorii verba.

Illa « una voluntas » estne *proxime* intelligenda humana, an divina? Sine dubio *humana*. Hoc enim sequitur ex argumento, quo utitur: Non erat in Christo, sicut in nobis, illa lex membrorum, de qua loquitur Apostolus, repugnans legi mentis, vitiata nimirum concupiscentia; *ergo* (sic tantum *proxime* inferre licet) non erat lex duplex seu duplex voluntas humana in Christo, sed una tantum voluntas humana, voluntas illa bona seu lex mentis. — Sequitur idem ex verbis proximo praecedentibus, quibus asseruerat Honorius, « manere utrarumque naturarum differentias ». Certo hae non mansissent, si una illa voluntate intellexisset divinam, sublata humana. — Unde patet, Ioannem Abbatem recte dixisse, Honorium de una tantum voluntate humana, proxime quidem, verbis illis egisse.

Asserendo igitur unam voluntam humanam in Christo simulque docendo, « mansisse utrarumque naturarum differentias » et quidem « integras », ut in altera epistola profitetur, tum negative tum

positive asserebat duplicem absolute in Christo voluntatem, divinam videlicet et humanam: negative quidem, refellendo Sergii argumentationem pro una naturali voluntate; positive, quum sane, qui naturarum differentias asserit et quidem integras, tam divinae quam humanae naturae profiteatur voluntatem.

Nihilominus quum Sergius divinae et humanae voluntatis mentionem fecisset et Honorius de utriusque etiam naturae operationibus agat, id quod de una voluntate asserit, alio etiam sensu, *qui tamen e priore sequatur*, recte admittitur.

Quid enim concludendum est ex eo, quod in Christo, in quo integrae manserunt naturarum differentiae, non erat voluntas humana altera rebellis seu lex membrorum, sed voluntas tantum bona? Concludendum sane, hanc bonam voluntatem humanam ubique esse conformem divinae, adeo ut, quemadmodum duo homines, qui idem volunt, unam eandemque (sensu morali) voluntatem habere dicuntur, una eademque (sensu morali) sit utrarumque in Christo naturarum voluntas. Una igitur in Christo voluntas est, quatenus bona voluntas humana semper conformis est divinae. Unde quum Honorius, duas naturas integras asserendo, duas etiam asserat voluntates naturales, et quum porro, vitiatam in Christo voluntatem et hinc pugnam negando, voluntatum asserat conformitatem seu unitatem moralem; cur voci « unius voluntatis » non tribuamus sensum illum, qui e tota illius doctrina evidenter sequitur? Honorius igitur unius voluntatis vocem eodem sensu usurpasse recte dicitur, quo Concilium Lateranense a. 649 sub Martino I habitum, theandricae operationis vocem admittit, videlicet ad demonstrandam utriusque operationis « unitionem », et, quod gravius est, quo ipsum Concilium oecumenicum VI duarum voluntatum *consensum* praedicavit.

3. Cels. D. de Hefele, Episcopus Rottenburgensis, in libello, qui inscribitur « Causa Honorii Papae », hac ratione vult evincere, Honorium in Christo unam tantum agnovisse voluntatem naturalem : « Honorius, inquit, sic argumentatur: Christus assumpsit veram humanitatem, plenam naturam humanam, non vero naturam humanam peccato corruptam, sed illam, prout ante lapsum

fuit; ideoque in Christo non erat lex membrorum, quae legi mentis adversaretur. — Hactenus recte; abhinc vero sequentem in modum debuisset ratiocinari: ideo in Christo non erat peccaminosa, carnalis voluntas, sed solummodo *bona voluntas humana, divinae voluntati* omnino conformis; adeoque *duae* voluntates: divina nimirum *atque* humana, eaque bona. — Ast Honorius confundit has duas voluntates; vel bonam voluntatem humanam, utpote divinae voluntati in omnibus consonam, in hanc prorsus transiro sinit, ideoque dicit: *unde unam* voluntatem fatemur Domini nostri » (p. 9).

Quomodo, quaeso, ostenditur, Honorium *confundere* duas illas voluntates vel transformaro voluntatem humanam in divinam? Non tantum gratis, sed reclamantibus Honorii verbis huiusmodi confusio vel conversio asseritur, quum in eadem illa epistola confiteatur, « Dominum Iesum Christum. . . operatum divina. . . eumdemque operatum humana assumpta carne *discrete, inconfuse, inconvertibiliter* 1 » etc., « manere utrarumque naturarum *differentias* », et quidem, ut in altera epistola addit, « *integras* 2 ». Sed quid sibi volunt haec: « Bonam voluntatem humanam, *utpote divinae voluntati in omnibus consonam*, in hanc prorsus transire sinit »? An ex eo, quod bona voluntas humana in omnibus divinae sit *consona*, sequitur, humanam in divinam *transire*? An si alter alterius voluntati in omnibus consentit, sequitur, amborum esse unam voluntatem *naturalem*? — Imo si bona voluntas humana in omnibus est consona divinae, sequitur, illam *non* transiro in istam, quia conformitas nonnisi inter duo reperitur et qui non est, consentire non potest. Abstinendum igitur ab explicatione, quam quis tueri nequit, nisi sibi ipsi contradicere velit.

4. Observationum auctor asserit: « Quod si Honorius consensionem hanc praedicavisset, eo eius (eoque?) respectu humanam et divinam Redemptoris voluntatem unam dixisset, nihil, quod reprehenderetur, fuisset. Attamen si consensus hicce mentis eius aciem perstrinxisset, necessario eo pervenisset, ut distinctionis inter volun-

1 *Mansi*, tom. XI, p. 538.
2 *Mansi*, ibid. p. 579.

tates sibi assentientes conscientiam claram haberet: quo casu non agnoscere non potuisset, Christum, quia duas naturas, etiam voluntates duas habere » (p. 41). — Id sane sequitur. Sed quomodo ostenditur, Honorium in Christo non agnovisse duas voluntates? « Eo tamen — ita pergit auctor — non pervenit, atque de una, quam confitendam ducit, voluntate id unum dubio caret, quod sub ea voluntatem, contra quam caro non concupiscit, intellexit ». — Argumentum igitur huc reducitur: *Non agnovit* Honorius duas in Christo voluntates; *nam hoc tantum certum est*, cum de una voluntate agendo locutum esse de voluntate, contra quam caro non concupiscit. Non concludit argumentum; sequeretur tantum, non esse *certum*, Honorium agnovisse duplicem voluntatem, minime vero, eum *non agnovisse*. Haec enim valde inter se differunt. Caeterum si, ut auctor asserit, « de una, quam confitendam ducit (Honorius) voluntate, *id unum dubio caret*, quod sub ea voluntatem, contra quam caro non concupisceret, intellexerit », fatente auctore, non caret dubio, Honorium illa una voluntate intellexisse divinam, atque adeo non caret dubio, Honorium impugnata illa sententia tradidisse haeresim Monothelitharum.

Honorium ut duplicem in Christo operationem, sic duplicem etiam voluntatem, divinam et humanam, agnovisse, id certum omnino fit ex illis, quae de utraque natura asserit. Scribit enim in altera ad Sergium epistola: « Utrasque naturas in uno Christo unitate naturali copulatas, cum alterius communione operantes atque operatrices, confiteri debemus; et divinam quidem, quae Dei sunt operantem, et humanam, quae carnis sunt exequentem, non divise, neque confuse, aut convertibiliter, Dei naturam in hominem, et humanam in Deum conversam edocentes, sed naturarum differentias integras confitentes . . . Duas naturas, i. e. divinitatis et carnis assumptae, in una persona unigeniti Dei Patris, inconfuse, indivise, atque inconvertibiliter praedicare (oportet) propria operantes [1] ».

Haec Domino de Hefele quondam adeo clara et peremptoria visa sunt, ut scripserit: « Hisce verbis Honorius doctrinam orthodoxam

1 *Mansi*, ib. p. 582.

enuntiaverat, et iniustum plane esset, eum incusare haereseos. » (Hiermit hatte Honorius die orthodoxe Lehre ausgesprochen, und es wäre völlig unrecht, ihn der Haeresie zu bezüchtigen. Conciliengeschichte von Dr. Hefele; 3 Band (1858) p. 147.)

5. Porro quum Honorius adversus Sergium doceret, a Christo assumptam non esse naturam humanam vitiatam et carnem rebellem, explicare debebat, cur Christus tristitia affici et moerens dicere potuerit: « Non mea voluntas, sed tua fiat »! Docet proin, *libere* huiusmodi tristitiae et timoris affectui sese submisisse, ut nostrae infirmitati se accommodaret nobisque praeberet exemplum. Observationum vero auctor supponit, non probat, Honorium sensisse, Christum « ad speciem » tantum haec passum esse, et mirabundus exclamat: « Num vero Christus, quum in monte Oliveti moereret et angeretur, vere vel ad speciem tantum passus est? » (p. 41, 42). Profecto, quia absurde et contra veritatem catholicam assereretur, Christum « ad speciem tantum » passum esse, propterea huiusmodi assertio non est imputanda Honorio, quum nulla ratio, eius verba ita interpretandi, adsit. Imo vero istiusmodi interpretatione eidem aperta inferretur iniuria, cum in eadem epistola Christum vere passum esse diserte dicat: « Qui coruscavit in carne plena divinis miraculis, ipse est et carneus effectus plene Deus et homo, *passiones* et opprobria patitur . . . unus atque idem, sicut scriptum est, crucifixus Dominus maiestatis, dum constet, *divinitatem nullas posse perpeti humanas passiones* . . . profecto nos instruens, quod divinitati unita est *caro passibilis* 1 » etc.

Constat proinde pariter, quo iure Cels. Episcopus Rottenb. D. de Hefele (Causa Honorii Papae, p. 17) dicat, « luce clarius patere », Honorium una illa voluntate intellexisse divinam, *quia* opinatus sit, Christum dicendo: « Non mea, sed tua voluntas fiat », non in proprio et obvio sensu esse locutum. Nonne rectius diceretur, luce clarius patere, Honorium *una* illa voluntate non intellexisse divinam, quia ipse diserte professus est, se voluntate *altera exclusa* intelligere voluntatem rebellem seu concupiscentiam? Et vero Ho-

1 *Mansi*, ib. p. 539.

norius, antequam explicaret verba illa: « Non mea voluntas, sed tua fiat », dixerat: « Nam *lex alia in membris* aut voluntas *diversa* non fuit vel *contraria* Salvatori, quia supra legem natus est humanae conditionis. Et siquidem scriptum est: non veni facere voluntatem meam, sed eius qui misit me, Patris etc., non sunt haec *diversae* voluntatis, sed dispensationis humanitatis assumptae. Ista enim propter nos dicta sunt, quibus dedit exemplum, ut sequamur vestigia eius, pius magister discipulos imbuens, ut non suam unusquisque nostrum, sed potius Domini in omnibus praeferat voluntatem [1] ». — Quia nimirum propter nos Filius assumpserat « carnem » — ut antea dixerat — « passibilem », propter nos huiusmodi tristitiae affectum perpessus est, hinc etiam propter nos in huiusmodi vocem prorupit; et vero propter nos illa dixit, sicut propter nos illa passus est. Non asserit Honorius, Christum illa quidem *dixisse* seu huiusmodi affectum *verbis* monstrasse, nec tamen, quae verbis significarentur, in se expertum esse.

Iuvat hic animadvertere, eos, qui Honorium accusant, in illo accusationis capite, a quo tota res pendet, minime inter se convenire. Dum auctori observationum (p. 41) « de una, quam (Honorius) confitendam ducit, voluntate id unum dubio caret, quod sub ea voluntatem, contra quam caro non concupisceret, intellexit », Celsissimo Domino de Hefele « luce clarius patet », Honorium « unam voluntatem, quae in Christo est », asserere esse « divinam ». Qui tamen hos duos auctores qualicumque explicatione inter se consiliare potuerit, is profecto longe facilius Honorii ad Sergium et Agathonis ad Synodum VI inter se conciliabit epistolas, adeoque Honorii condemnationem et Sedis apostolica infallibilitatem.

6. Honorius, quod *rem* attinet, duplicem in Christo fatebatur operationem, licet *vocabulo* sive unius sive duplicis operationis abstinere consultius duceret. Agnitam ab eo esse duplicem operationem, patet imprimis inde, quod duas naturas fateatur, quarum utraque operatur quae sibi sunt propria. Patet idem ex eo, quod ipsis sancti Leonis ad Flavianum verbis utitur; iam vero sancti

1 *Mansi*, ib. p. 542.

Leonis verbis duplicem operationem designari, in Synodo VI agnitum est 1. Imo dici posset, clarius etiam quam a S. Leone factum erat, duplicem operationem assertam esse ab Honorio, quia pro « Verbo », qua voce usus erat S. Leo, Honorius adhibuit vocem *divinitatis* et *naturae divinae*.

Mirum plano est, quod observationum auctor hanc in rem scribit: « Nulla quidem tunc extabat Ecclesiae definitio, quae geminam in Christo voluntatem confitendam esse verbis expressis ferret, attamen duplicem in Christo operationem duabus naturis respondentem, id non solum quoad rem, sed etiam quoad verbum definitum erat; habebatur enim in Leonis M. ad Flavianum epistola, quam omnes decretis Chalcedonensibus assentientes ut ge-

1 A. *Leonis ad Flavianum* epistola: « Agit utraque forma *cum alterius communione* quod *proprium* est; Verbo scilicet operante quod Verbi est, et carne exequente quod carnis est ».

Conc. Oecum. VI: « Duas vero naturales operationes indivise, inconvertibiliter, inconfuse, inseparabiliter in eodem Domino nostro Iesu Christo vero Deo nostro glorificamus, hoc est divinam operationem et humanam operationem, secundum divinum praedicatorem Leonem, apertissime asserentem: « Agit enim utraque forma cum alterius communione quod proprium est, Verbo scilicet operante quod Verbi est, et carne exequente quod carnis est ... » Undique igitur inconfusum atque indivisum conservantes, brevi voce cuncta proferimus: unum sanctae Trinitatis et post incarnationem Dominum nostrum Iesum Christum verum Deum nostrum credentes, asserimus, duas eius esse naturas in una eius radiantes subsistentia ... *dum cum alterius communione utraque natura* indivise et inconfuse propria vellet atque operaretur ». Sess. 18. *Mansi*, ib. 638.

B. *Honorii ad Sergium epistola altera*. « *Utrasque naturas* in uno Christo unitate naturali copulatas, *cum alterius communione operantes atque operatrices*, confiteri debemus; et *divinam* quidem, quae Dei sunt *operantem*, et *humanam*, quae carnis sunt *exequentem*, non divise, neque confuse, aut convertibiliter, Dei naturam in hominem, et humanam in Deum *conversam* edocentes, sed naturarum *differentias integras* continentes ... Pro una, quam quidam dicunt, operatione oportet nos unum operatorem Christum Dominum *in utrisque naturis* veridice confiteri; et pro duabus operationibus, ablato geminae operationis vocabulo, *ipsas* potius *duas naturas*, i. e. divinitatis et carnis assumptae, in una persona unigeniti Dei Patris, inconfuse, indivise atque inconvertibiliter nobiscum praedicare *propria operantes*. »

nninae doctrinae do incarnatione regulam reverebantur. Cum Cyrus Phasidis adhuc Metropolitanus esset, Heraclium imperatorem monuit, fas non esse prohibere, ne duae post unionem (naturarum in Christo) operationes doceantur; etenim Leonem in epistola ad Flavianum duas operationes aperte denunciare. Revera fecit hoc asserens: Agit (ἐνεργεῖ) enim utraque forma cum alterius communione quod proprium est » (p. 36, 37). — Sententiam inspicienti illico patet, non recte dici, duplicis *operationis verbum* apud S. Leonem occurrere, licet, quod *rem* attinet, duplex operatio sane asseratur. Hoc autem si verum est in Leonis sententia, cur verum non sit in Honorii, quae deprompta sine dubio est ex Leonis epistola, cui adeo est conformis?

7. In ipsa illa sententia, qua sive ab unius sive a duplicis operationis *voce* abstinendum monet, dogma catholicum apertissime exponit, dum altera epistola scribit: « Non nos oportet unam vel duas operationes definientes praedicare, sed pro una, quam quidam dicunt, operatione oportet nos unum operatorem Christum Dominum in utrisque naturis veridico confiteri; et pro duabus operationibus, ablato geminae operationis *vocabulo,* ipsas potius duas naturas, id est, divinitatis et carnis assumptae, in una persona unigeniti Dei Patri, inconfuse, indivise, atque inconvertibiliter nobiscum praedicare *propria operantes* 1 ». His omnino consonant, quae in priore scripserat epistola: « Non oportet ad dogmata haec ecclesiastica retorquere, quae neque synodales apices super hoc examinantes, neque auctoritates canonicae visae sunt explanasse, ut unam vel duas energias aliquis praesumat Christi Dei praedicare, quas neque evangelicae neque apostolicae litterae, neque synodalis examinatio super his habita, visae sunt terminasse, nisi fortassis quidam aliqua balbutiendo docuerunt, condescendentes ad informandas mentes atque intelligentias parvulorum, quae ad ecclesiastica dogmata trahi non debent, quae unusquisque in suo sensu abundans videtur secundum propriam sententiam explicare. Nam quia Dominus Iesus Christus, Filius ac Verbum Dei, per

1 *Mansi*, ib. p. 582.

quem facta sunt omnia, ipse sit unus operator divinitatis atque humanitatis, plenae sunt sacrae litterae luculentius demonstrantes. Utrum autem propter opera divinitatis et humanitatis una an geminae operationes debeant derivatae dici et intelligi, ad nos ista pertinere non debent, relinquentes ea grammaticis, qui solent parvulis exquisita derivando nomina venlitare ». Quod *rem* attinet, Honorius agnoscit, Christum operatum esse tum per divinitatem tum per humanitatem, ac proinde fatetur veritatem catholicam; quod *vocem* attinet, ad lites et falsas vocum interpretationes evitandas, tum ab unius tum a duplicis operationis vocabulo abstinere opportunius ducit, praesertim quum Scripturae, quae quidem Christum multipliciter operatum exhibent, nec unius nec duplicis operationis vocabulo utantur [1]. En totius quaestionis summa! Nonne et nostris

1 Cels. Episcopus de Hefele (Causa Honorii Papae p. 8) Honorium haec scribentem facit seu verborum eius hunc colligit sensum: « De cetero terminus δύο ἐνέργειαι falso adhibetur; Christus enim ἐνέργησε πολυτρόπως i. e. operatus est multiformiter (v. gr. nunc manducabat, bibebat, dormiebat, docebat, aegros sânabat » etc.).

Non dixit Honorius, vocem « duae energiae » *falso* adhiberi; neque eius verborum is est sensus, ut legenti patet: Dixit: *non esse adhibendam*, et quidem propter rationem ab opportunitate petitam, ut lites videlicet ac praeposterae interpretationes evitarentur. Iam vero quis non videat, aliud esse, vocem adhiberi *falso*, aliud *non opportune* adhiberi?

Caeterum Honorius quod de *duabus* operationibus dixit, idem dixit de *una*. Si igitur secundum Cels. Episcopum Honorius dixit, vocem duplicis operationis *falso* adhiberi, dixit pariter, vocem unius operationis *falso* adhiberi. Et si heterodoxis est adnumerandus, quia dixit, vocem duplicis operationis *falso* adhiberi, orthodoxis erit adnumerandus, quia dixit, vocem unius operationis *falso* adhiberi. Cur enim quod valet ad Honorium accusandum, non valeret ad liberandum?

Pergit (ib.) Cels. Episcopus: « Honorius itaque confundebat ἐνέργειαν seu *operationis* modum in se, cum singulis eius *manifestationibus* ».

Verum id minime est. Honorius multiplices operationes admittebat, simulque fatebatur, harum omnium operationum duplex principium esse divinitatem et humanitatem. Profitebatur igitur dogma catholicum. — Sed quid hoc sibi vult: Honorium « confudisse ἐνέργειαν sive *operationis modum* cum singulis eius *manifestationibus* »? An ἐνέργεια non est *operatio*, sed tantum *modus* operationis? An manducare, bibere, docere non sunt verae *operationes*, sed tantum energiae sive operationis *manifestationes*?

diebus, quum de Ecclesiae magisterio agitur, ab infallibilitatis *voce* consultius abstineri censent nonnulli ea ducti ratione, quod praecedentia Concilia hac *voce* usa non sint? An propterea suspectae eos fidei dicemus?

Neque quidquam observationum auctor affert, quo evincat, quod audacter asserit, Honorium, qui quidem « in duas Christi naturas, divinam et humanam, absque permixtione et permutatione subsistentes eadem certe sinceritate ac in unitatem personae » crediderit, « consectaria, quae relate ad Christi voluntatem ac operationem ex doctrina hac probe intellecta necessario deducuntur, perspecta minime habuisse » (p. 36); pariter Honorium « non intellexisse, quid per ἐνέργειαν significaretur » (p. 42). Imo Honorium consectaria illa perspecta habuisse, cumque quid per ἐνέργειαν significaretur, intellexisse, ex eo patet, quod dogma catholicum de una persona per utramque naturam operante clare exposuit et « utrasque naturas integras », easque « operantes atque operatrices » asseruit.

8. « Asseverare, quod Honorius epistolas illas ut persona privata scripserit, historiam ignorare est vel eius ignorantiam fingere »; ita observator asserit (p. 43). Et ratio quidem haec est: quum ad Honorium tanquam Romanum Pontificem provocaverit Sergius, etiam Honorius tanquam Romanus Pontifex respondisse censendus est.

Verum est, Sergium ad Honorium tanquam Romanum Pontificem provocasse, indeque patet, huius in rebus fidei decidendis auctoritatem passim agnitam fuisse.

Cels. Ep. de Hefele (Causa Honorii Papae, p. 10) rem ita urget: « In altero fragmento, ex epilogo epistolae, legitur: Caeterum, quantum ad *dogma ecclesiasticum* pertinet... non unam vel duas operationes in mediatore Dei et hominum definire... debemus. Ex quibus liquet, Honorium dogmaticam definitionem dare, dogma Ecclesiae enunciare voluisse, simul autem terminum orthodoxe dogmaticum reiecisse » [una tamen cum heterodoxo « termino »].

An ergo persuasum revera erat Honorio, se tanquam Romanum Pontificem posse « *dogmaticam definitionem dare?* » An idem fortasse censuit Sergius, qui hanc « *dogmaticam definitionem* » provocare voluerat? Si ita est, causa Honorii Papae non leve suppeditat

momentum pro suprema, hinc infallibili Romani Pontificis in quaestionibus fidei decidendis auctoritate.

Sed aliud est dicere, Honorium tamquam Romanum Pontificem *respondisse*, aliud dicere, Honorium pro *plena* Romani Pontificis *auctoritate* in rebus fidei aliquid *definiisse*. Sane quidquid Concilium oecumenicum, decreta sua promulgando, scripto edit, tanquam *Concilium oecumenicum* promulgat et edit; non tamen omnia *definit*. Probatissimi quidem theologi hoc statuunt principium: Concilium oecumenicum illa tantum definit, quae definire intendit; indeque concludunt, in Conciliorum decretis quaedam quandoque « obiter » et « incidenter » efferri, quae Concilium definire minime velit; Concilium igitur huiusmodi in rebus non pro plena sua auctoritate agit.

Quod de Conciliorum, id etiam de Summorum Pontificum decretis et scriptis dicendum est. Possunt Pontifices quaedam proferre, quibus quaestionem definire minime intendant. Si quis, ut huiusmodi responsa a definitionibus distinguat, a Pontifice auctoritate *privata* i. e. non *plena* muneris auctoritate uso illa edita dicat, de voce litigandum non est. Quod enim rem spectat, idem est ac dicere, Romanum Pontificem, licet qua Romanus Pontifex pro auctoritate suprema *responderit*, tamen non pro plena auctoritate *definiisse*.

Iam vero Honorium nihil definire voluisse, evidenter ex eo patet, quod, non quidem fidei quaestione, sed *vocis derivatione* ad Grammaticos amandata, silentium commendat et sive ab unius sive a duplicis operationis *voce* et *nuncupatione* abstinendum censet, etsi « duas naturas operantes et operatrices » asserendo, quod rem spectat, duplicem operationem fatetur. Silentium commendando simul errorem sopire intendebat, recteque Agatho Papa data ad Synodum VI epistola, ad Honorium alludens, scripsit: praedecessores suos nunquam neglexisse eos, qui errorem inducere tentabant, hortari, « ut a pravi dogmatis haeretico errore *saltem tacendo* desisterent. »

VIII.

Sententia in Honorium lata.

1. Auctori observationum imprimis demonstrandum erat, Honorium a Concilio oecumenico haereticis adnumeratum esse non propterea, quod haeresin non compresserit aut veritatem catholicam non satis defenderit, sed propterea, quod doctrinam falsam tradiderit. Asserit audacter damnatum esse, quod doctrinam falsam tradiderit. Quomodo id demonstrat? « Indubium, inquit, est, Honorium doctrinae, quam Sergius litteris ad eum directis exposuit, diserte assensisse » (pag. 45); atque inde concludit, ut falsae doctrinae auctorem esse condemnatum.

Quid, si argumento plane inverso diceremus: indubium est, Honorium non consensisse falsae Sergii doctrinae; ergo indubium est, non ut doctrinae falsae auctorem esse condemnatum! Et vero, Honorium non consensisse falsae Sergii doctrinae, ex eo potissimum evicimus, quod principium, quo Sergius suam de una (physica) voluntate doctrinam superstruebat, subverterit et « *utrasque naturas* in Christo unitate naturali copulatas, cum alterius communione *operantes atque operatrices* » agnoverit. Ipse, quem impugnamus, scriptor in praecedentibus (p. 39, 40) de falso Sergii principio agens fassus erat: « Honorius istam voluntatis unius demonstrationem directe saltem non adoptavit » (melius utique dixisset, « directe » impugnasse et reiecisse). Quo ergo iure nunc asserit, indubium esse, Honorium Sergii *doctrinae* « diserte assensisse »?

Auctor observationum parum movetur ea re, quod Honorius duas in Christo fassus sit « naturas » (p. 46) (omittit quidem dicere, eum fassum pariter esse duas naturas « *operantes et operatrices* »); « praemissis, inquit, consentire, iustam vero conclusionem reiicere, doctrinae monotheliticae proprium erat ». Notandum vero est, id recte quidem dici de Sergio, quippe qui asseruerit, si duae in Christo essent voluntates, alteram alteri fore contrariam; non recte dici

de Honorio, qui principium illud, quod totius erroris caput erat, reiecerat.

Scriptori nostro demonstrandum praeterea erat, illam, quam Synodus in Honorium tulerat sententiam, a Sede Romana confirmatam esse ut latam in Honorium tanquam haereseos auctorem, non modo ut qualemcumque haereseos fautorem. Hanc autem distinctionem, in se gravissimam, omnino non attendens scribit: « His perpensis (videlicet Monothelitarum ad Honorii auctoritatem provocatione) sancta Sedes Honorii condemnationi assensit et Leo II litteris, quae Concilio terminato scribendae erant, Honorii gesta acriter perstrinxit » (p. 47). Quasi de *gestis* ac de *doctrina* ferre iudicium prorsus idem esset, et quasi in hac distinctione, quatenus Concilii per Pontificem confirmatio et hinc Concilii auctoritas spectatur, non verteretur rerum cardo!

2. Indubium prorsus est, a Leone Papa confirmatam non esse Concilii oecumenici sententiam in Honorium ut haereseos auctorem, sed tantum ut eiusdem fautorem. Probe enim distinguit inter haereseos auctores seu inventores, et Honorium, eiusdem, quum eam non compresserit, fautorem. « Anathematizamus, inquit, atque execramur omnes haereses, omnesque earum *auctores* atque *fautores*.... Pariterque anathematizamus novi erroris inventores, id est, Theodorum Pharanitanum Episcopum, Cyrum Alexandrinum, Sergium.... necnon et Honorium, qui hanc apostolicam Ecclesiam *non conatus est* doctrina apostolicae traditionis illustrare, sed profana proditione maculari immaculatam permisit [1] ».

Sed ab ipsa Synodo VI Honorium condemnatum esse ut haereseos tantum fautorem, non ut eiusdem auctorem seu falsa dogmata profitentem, palam fit e Constantini imperatoris edicto [2]. Postquam enim dixit: « Super haec omnia anathematizamus atque refutamus et eos, qui supervacuorum et novorum dogmatum *haeretici auctores* atque *fautores* sunt », ita pergit: « Dicimus autem Theodorum, qui fuit Pharanitanus Episcopus, et Sergium, qui fuit huius a Deo conservandae nostrae regiae urbis Antistes, huic consentaneum et

1 *Mansi*, ibid. p. 723.
2 *Mansi*, ib. p. 710.

moribus atque impietate parilem: *ad haec* et Honorium, qui fuit antiquae Romae Papa horum haereseos in omnibus *fautorem* atque *confirmatorem*.

Ex hisce igitur locis clarioribus — secundum principium exegeticum ubique admissum — explicandi sunt loci illi minus clari, in quibus haec distinctio non profertur. Caeternm in ipsa actione XIII, postquam Honorius cum reliquis promiscue condemnatus est, Patres, quasi explicationem addituri, ad Honorium revertuntur dicentes: « Cum his vero simul proiici a sancta Dei catholica Ecclesia simulque anathematizari praevidimus et Honorium, qui fuerat Papa antiquae Romae, eo quod invenimus per scripta, quae ab eo facta sunt ad Sergium, quia in omnibus eius mentem secutus est et impia dogmata *confirmavit* ». Sane concilium dicere noluit, « in omnibus », quae *doctrinam* spectant, Honorium Sergii mentem esse secutum; data enim opera Honorius Sergii pro una in Christo voluntate argumentationem reiecerat. Unde, ne dicamus, Patres errasse, dicendum est, Honorium eo sensu damnatum esse, quem clarius in edicto expressit Constantinus imperator.

Et vero nisi constitisset, Honorium nullam tradidisse perversam doctrinam, quomodo Agatho Papa litteris ad Constantinum, Heraclium et Tiberium Augustos datis, quae lectae sunt in actione IV, de Romana Ecclesia agens dicere potuisset: « Haec est verae fidei regula, quam et in prosperis et in adversis vivaciter tenuit ac defendit haec spiritualis mater vestri tranquillissimi imperii, apostolica Christi Ecclesia, quae per Dei omnipotentis gratiam a tramite apostolicae traditionis *nunquam errasse probabitur*... » Quomodo potuisset asserere, cunctis esse notum, a praedecessoribus suis « *semper* » fratres esse confirmatos, principis Apostolorum Ecclesiam « ab omni errore illibatam permanere 1 ». Certo haec vera non essent, si vel in uno Honorio suo capite Romana Ecclesia errori succubuisset.

3. Auctor opusculi « de Summi Pontificis infallibilitate personali » Honorium errasse hac brevissima ratione demonstrasse sibi

1 *Mansi*, ib. p. 231.

visus est, dum asserit (p. 20, 21): « In hac vero publica et quaquaversus patente decisione erravit. Non opus est, singulas et varias Honorii, quae afferuntur, defensiones vel excusationes percurrere. Tria Concilia oecumenica (VI, VII, et VIII), consentientibus ipsis Pontificibus, et ipsi Pontifices sequentes, Agatho, Leo II, et alii Honorio tanquam haeretico una cum aliis haereticis anathema dixerunt, non mortui personam iudicantes, sed de ipsa potissimum epistola iudicium ferentes ». (Afferuntur dein tres Concilii VI loci, sed, ut facile coniici poterat, illi, in quibus Honorius cum reliquis haereticis confunditur, non illi, in quibus ab iisdem distinguitur et condemnationis causa clare exprimitur.) Brevis sane demonstratio, modo id demonstratum fuisset, a quo totius quaestionis solutio pendet, scilicet quo sensu haereticis adnumeratus sit a Concilio, et quo sensu Concilii decretum a Summo Pontifice confirmatum sit [1].

Caeterum non admodum felix exstitit in quibusdam Concilii locis afferendis. Verba eius quae eodem charactere expressa iisdemque, quibus apud ipsum leguntur, signis affecta referimus, haec sunt: « Et ipsum Honorium a sancta Dei Ecclesia proiiciunt, « *eo quod invenimus per scripta, quae ab eo facta sunt ad Sergium, quia in omnibus eius mentem secutus est et impia dogmata confirmavit* », et alio loco (act. 18) *quod per eum perinde ac per reliquos daemon disseminaverit haeresim unius voluntatis et operationis, — quod praedicaverit unam voluntatem et operationem* » etc. Quum illa, quae ut ex actione 18 desumpta afferuntur, eodem charactere exprimantur et eodem signo claudantur ac quae praecedunt, quis existimare non debeat, afferri illa ut ipsius Concilii verba?

Nihilominus Concilii verba non sunt. Loci enim actionis XVIII, qui respici videntur, hi sunt: « Quoniam non destitit ab exordio adinventor malitiae cooperationem sibi serpentem inveniens... et ita organa ad propriam sui voluntatem apta reperiens, Theodorum dicimus... Sergium, Pyrrhum, Paulum, Petrum... insuper et Ho-

1 Quae opusculi « manuscripti » auctor in Honorii causa affert, praetermittimus, quum eorum solutio ex illis, quae diximus, pateat.

norium, qui fuit Papa antiquae Romae, et Cyrum... Macarium quoque... et Stephanum eius discipulum, non vacavit (cessavit) per eos plenitudini Ecclesiae erroris scandala suscitare, unius voluntatis et unius operationis in duabus naturis unius de sancta Trinitate, Christi veri Dei nostri, orthodoxae plebi novisone disseminando haeresim consentaneam insanae ac malitiosae sectae impiorum Apollinarii », etc. 1. — « Nestorio et Eutychi et Dioscoro anathema. Apollinari et Severo anathema. Consentaneis eorum anathema. Theodoro Pharanitae anathema. Sergio et Honorio anathema. Pyrrho et Paulo anathema... Omnibus haereticis anathema. Qui *praedicaverunt* et *praedicant*, docent ac *docturi sunt* unam voluntatem et unam operationem in dispensatione Domini nostri Iesu Christo Dei nostri, anathema.» 2. — Patet, nec in priore loco dici, Daemonem per Honorium « *perinde ac per reliquos* » haeresin unius voluntatis et operationis disseminasse, id quod maximi tamen est momenti, nec in altero dici, Honorium « *unam voluntatem et operationem praedicasse* ». Quod enim hac de re dicitur, universale omnino atque indeterminatum est, quum non de praeterito, sed etiam de praesento et de futuro tempore sit sermo.

Quo demum fato auctor eo adductus est, ut tamquam Concilii verba laudaret, quae Concilii verba non sunt? Sine dubio optima fide egisse censendus est. Verba quae profert, eadem leguntur apud P. Perrone (Praelect. Theol. vol. II, part. I. Romae 1841), qui (p. 554–555) inter *obiectiones* haec affert: « Si ita se res habet (i. e. si Honorius non erravit), erravit ergo Conc. oecum. VI, quod sexies damnavit Honorium . . . *act. XVIII, quod per eum perinde atque per alios daemon disseminaverit haeresin unius voluntatis et operationis; ibid. quod praedicaverit unam voluntatem et operationem* ».

Audita ex P. Perrone obiectione, audiamus ex eodem eius solutionem, quae est: « Si quis singula obiecta Concilii loca expendat, nec unum offendet, in quo dicatur anathema Honorio eo, quod unam in Christo docuerit voluntatem ».

1 *Mansi*, XI, pag. 635.
2 *Mansi*, ib. pag. 655.

4. Cels. Episcopus Rottenb., qui varias ad solvendam Honorii quaestionem vias recenset et improbat, postquam ad vulgatissimam quidem et obviam distinctionem inter haereseos auctorem eiusque fautorem pervenit, mirum est, quam levi calamo rem perstringat. Scribit enim (Causa p. 26): « Postquam D. Margerie affirmaverat, Concilium VI oecumenicum Papae infallibilitatem decrevisse, necesse omnino habuit, omnes etiam sententias et verba Concilii, quae anathema Honorio « *haeretico* » etc. inferunt, alium in sensum interpretari et mitius explicare. Et quoniam, qui quaerit, invenit, etiam D. Margerie invenit, vocabulum « haereticus », ubi de Honorio usurpatur, nequaquem haereticum sensu proprio significare – et quae suut similia. Nos quidem praecipuos illos locos, quibus et VI oecum. Concilium et plures Romani Pontifices nec non aliae Synodi oecumenicae posteriores suam de Honorio sententiam protulerunt, supra (in Sect. I) allegavimus, ad quos iam denuo respicere placeat ».

Quid vero, si ex ipsis locis allegatis aut allegandis distinctio haec, ut vidimus, patescit? Et quamprimum constat, Honorium a Synodo VI propterea, quod haeresi diffundendi libertatem permiserit, haereticis adnumeratum esse, nonne pariter constat, quum a subsequenti aliquo Concilio eisdem adnumeratur, non alia de causa id fieri? — Caeterum *varias* ab auctoribus afferri solutiones illius, quae ex Honorii condemnatione petitur, difficultatis, non mirabitur is, qui non ignorat, idem habere locum in aliis iisque certissimis veritatibus.

5. Auctor observationum non parum insistit in hoc (p. 49), quod secundum ipsas leges ecclesiasticas Summus Pontifex, quamvis de aliis rebus non possit, de haeresi tamen possit iudicari ab Ecclesia. Respondent infallibilitatis pontificiae vindices, illas leges de errore personali seu Pontificis ut personae privatae, non de iudiciali errore seu de Pontificis pro auctoritate suprema docentis intelligendas esse; aliud enim esse, veritati iam definitae contradicere quidem, attamen errorem Ecclesiae non proponere credendum; aliud, iudiciali sententia eundem credendum proponere. Merito haec fit distinctio, qua admissa manent salva, quae de suprema Pontifi-

cis in docendo auctoritate a Christo statuta et a Conciliis decisa sunt. Cels. Episc. de Hefele (Causa etc. p. 16) de hac distinctione agens quaerit: « Si fieri potest, ut generatim Papa in haeresim incidat, cur non etiam illud possit accidere, ut haeresim, quam corde amplectitur, ex cathedra quoque pronunciet, quippe quam certo pro doctrina catholica teneat? neque enim praesumenda est in eo mala voluntas! » — Liceat quaerere vicissim: Si fieri potest, ut tum Summus Pontifex tum singuli Episcopi mente teneant errorem, cur non possit accidere, ut in Concilio congregati errorem enuncient et definiant? Si accidere potest, ut fideles singuli, etiam Episcopi, a fide et ab Ecclesia deficiant, cur fieri non possit, ut omnes simul deficiant et Ecclesia esse desinat? Scilicet Christus promisit, se nec illud nec istud esse permissurum. Qui ad Christi promissiones mentem non advertit, is sane nec Summi Pontificis nec Concilii oecumenici infallibilitatem neque Ecclesiae indefectibilitatem tueri poterit.

IX.

Quorundam Pontificum de ministro ordinis Sacramenti sensa.

Exigui plane momenti sunt, quae observationum auctor hic congessit. Exempla, quibus utitur, a primo ad penultimum attulerat Morinus 1, non quidem ad labefactandum Pontificum magisterium; sed ad probandam singularem sententiam, qua censebat, Ecclesiae competere potestatem, irritos reddendi ipsos in se ordines ab haereticis, schismaticis, simoniacis collatos.

Unanimes fere sunt Theologi in reiicienda hac sententia. Quae ad exempla a Morino allata respondent, trita sunt in scholis: non declarari invalidum ipsum in se ordinem a simoniacis susceptum, sed *vetari* functiones, ad quas ordo caeteroquin conferat potestatem, agi proinde de solo ordinis *exercitio*. Ultimum exemplum depromptum e scriptore nuperrimo, qui pariter Summi Pontificis infallibilitatem eodem oppugnare tentaverat, nihil etiam difficultatis praebet. « Leo IX credidit, simoniacos sacramentum ordinis valide dispen-

1 De sacris Ecclesiae ordinationibus, l. 3, exercit. 5.

sare non posse... Sanctus erat vir... » (p. 52). Profecto sanctus erat vir, ac vel propterea eius fidei non facile aspergenda est macula. Sed constituit Leo IX, ut « omnia et singula per eos (i. e. simoniacos Episcopos et Cardinales) dicta, facta, gesta, *administrata* ac inde secuta viribus careant ». Vox « administrata » ab auctore nostro perperam ad sacramentorum dispensationem trahitur, quum ex bulla ipsa pateat, de negotiis gerendis esse sermonem. Huius rei suspicio vel ex eo concipi poterat, quod Cardinalium fit mentio, quorum dignitas iurisdictionem spectat. Sed haec, ut dixi, trita sunt.

X. XI. XII.

Pontificum medio aevo in reges et regna potestas.
Ecclesiae ad potestatem civilem ratio.
Respublica Christiana.

1. Quae observationum auctor hisce tribus capitibus fuso evolvit, tandem, quatenus ad eius scopum faciunt, hac comprehendi videntur sententia: « Si Christiani edocendi forent, Pontificibus potestatem, quam medio aevo in reges et regna exercuerunt, a Christo Domino traditam esse, triumphum agerent religionis osores: quippe melioris quoque notae viris facile persuaderent, nequaquam fieri posse, ut in rebus civilibus constituendis ad legis christianae praescriptiones attendatur » (p. 70).

2. Timor, quo afficitur, quam parum iusta causa oriatur, ex ipsis, quae auctor disputat, ostendi facile potest. Dixit quidem ab initio: « Iura adversus potestatem civilem, quae peculiaribus rerum adiunctis conspirantibus acquisiverunt (Pontifices), S. Petro a Christo collata esse putaverunt » (p. 54). Attamen non de eo, quid putaverint, sed de hoc potius, quid credendum docuerint, sermo est. Itaque non licebat illico inferre: « ex quo sequeretur, obligationes iuribus his correspondentes principibus populisque a divino Ecclesiae fundatore impositas esse ». Id enim non sequitur, quamdiu, quod ipsi fortasse senserint, non declaraverunt credendum. Caeterum auctor ipse alium quoque iuris, quod Pontifices aevo medio exercuerint, fontem, Pontificibus non ignotum, assignat, dum scribit: « Nec tamen in Gregorii (VII) gestis successibusque obliviscendum est, eum

bona fide et cunctis consentientibus credidisse, Constantinum Magnum Silvestro et successoribus eius totam Italiam cum insulis dono dedisse.... Praeterea opinabatur, iure antiquo, cuius exercitium diu neglectum fuerit, omnem Hispaniam superiori sanctae Sedis dominio subesse. Facile intelligitur, *haec opinantis alium fuisse de sua ad reges ratione sensum, ac si documentis ementitis deceptus non esset.* » (55, 56). Quid ex hoc colligendum? Summos Pontifices non putasse, omnia « iura, quae acquisiverunt, S. Petro a Christo collata esse ». In eandem rem faciunt, quae auctor addit de communi populorum et principum medii aevi persuasione deque iis, quae « iure publico gentium occidentalium recepta et stabilita » erant (p. 55-56). Patet igitur, auctorem sententiae primo enunciatae ipsum postea contradicere.

3. Sed Bonifacius VIII Bulla « Unam sanctam » definivit, « subesse Romano Pontifici omnem humanam creaturam » ! Quo sensu? Refert auctor e Bellarmino, « Clementem V eam non revocasse, sed admonuisse, eam nihil novi definiisse, sed antiquam declaravisse obligationem, quam habent homines ad obediendum et subiacendum apostolicae Sedi » (p. 62). Timor, quem alio in loco exaggeravit auctor noster, fortasse evanescet, si cum illis comparare voluerit, quae ipse, principis saecularis hac in re obligationem expositurus, scripsit: « Homo est ad Deum super omnia diligendum creatus, et redemptus a Dei Filio, cui in gloria redeunti de usu *potestatis* ipsi concreditae districtam reddet rationem; itaque ne in tremendo iudicio appareat, eum suis in Christo fratribus *animae perpendae auctorem* fuisse, de negotiis Dei in terris regnum attinentibus *Summi Pontificis* et sacrorum Antistitum monita audiat oportet et magni faciat » (p. 65). Iam quum auctor, ut supra retulimus, dixerit, « melioris quoque notae viris facile persuasuros esse (religionis osoros), nequaquam fieri posse, ut in rebus civilibus constituendis ad legis christianae praescriptiones attendatur » ; quaerere liceat, num « melioris quoque notae viris facile persuaderi » possit, « nequaquam fieri posse », ut, quod ipse docet, de usu potestatis homini concreditae districta reddatur ratio Dei Filio in gloria redeunti, unde « Summi Pontificis monita audire » debeat? Patet proinde, quam religio-

nis osoribus ansam praeberi putat Summorum Pontificum decretis, hanc sua ipsius etiam doctrina iisdem praeberi facile posse.

4. Caeterum si Theologi plures referuntur, qui in Bonifacii VIII Bulla ampliorem hac deprehenderint Ecclesiae circa res civiles tribui potestatem, advertendum est, eosdem Theologos docere, non tantum in Pontificum, sed etiam in Conciliorum oecumenicorum, nominatim Lugdunensis I, declarationibus eandem potestatem tribui Ecclesiae. Si igitur Summi Pontificis infallibilitas propterea agnoscenda non est, ne Ecclesia invisa reddatur; numquid etiam Conciliorum oecumenicorum, quum secundum illos Theologos par utrimque sit ratio, infallibilitas non est agnoscenda?

XIII.

S. Thomas Aquinas et Ordinum religiosorum scholae.

1. « Summi ingenii vir (S. Thomas Aquinas) doctrinae de Pontificum infallibilitate scholarum portas aperuit » (p. 73). « Ex secunda saeculi decimi sexti parte Thomistae accesserunt sententiae eorum, qui Summi Pontificis de fide definitiones infallibiles censerent, etsi Ecclesiae universalis adiutorium in eis ferendis non requisierit; in quo fratres praedicatores Michaël Canus exemplo praeivit » (p. 75). En, quod observationum auctor tandem asserit, postquam ostendit, quanta incrementa Sedes Romana et quae « in Ecclesias particulares peculiaria iura acquisivit » (p. 71).

2. Multa auctor, ut ad haec tandem sibi viam pararet, *asseruit*, nec tamen *probavit*. *Tacuit*, quae *dicenda* erant, imprimis hanc de Pontificis infallibilitate sententiam saeculis ante S. Thomam elapsis fuisse notissimam, sic ut a S. Thoma certe invecta non sit. *Dixit*, quae *tacere* debebat, imprimis illud, quod, S. Thomae mentionem facturus, praemisit: « Viri docti, qui idem (quod populus, nimirum sanctam Sedem nunquam a veritate recessuram) sentirent, *laudem merebantur*, at quoniam docti, *eorum erat distinguere* inter fiduciam in Summo Ecclesiae Rectore pie collocandam, et conditiones, de quibus expletis constet oportet, antequam a populo

Christiano exigi possit, ut doctrinam aliquam tanquam a Deo revelatam amplectantur » (p. 73). Nonne enim vanae gloriae et improbitatis accusationem sapere ista videantur? De Cypriano, qui S. Stephani mandatis reluctabatur, quam teste S. Augustino maculam martyrio postea eluit, scripserat auctor noster: « Cum clarissimi viri sanctitatem et conscientiae fidem addubitare non liceat » etc. Numquid Doctoris angelici, Romani Pontificis infallibilitatem defendentis, sanctitatem et conscientiae fidem addubitare licet? – Quae tacere debebat, tunc etiam dixit, quum asseruit, S. Thomam spuriis textibus deceptum doctrinae illi scholas aperuisse; hoc enim quam falsum sit, mox videbimus. – *Coniunxit*, quae nullo modo inter se *cohaerent*. Etenim postquam per totum libellum Summi Pontificis infallibilitatem convellere adnisus est, ut hoc etiam capite adnititur, subito haec profert: « Pelagius I eos, qui propter trium capitulorum damnationem ab Ecclesiae Romanae communione recesserant, inter alia sedium apostolicarum auctoritatem a S. Augustino commendatam meminisse iussit ». Dein hanc e Pelagio profert S. Augustini sententiam: « Qui adversum auctoritatem illarum ecclesiarum, quae apostolicas Sedes et epistolas accipere meruerunt, *temere credit*, immanissimum Schismatis crimen a se propulsare non poterit » (p. 72). Quum vero simul fateatur auctor, Romanam unicam esse, quae supersit, Ecclesiam apostolicam; quomodo non perspexit, vel hisce stabiliri doctrinam illam, quam impugnat? – Nihil dicam de illa, quam asserit, patriarchatus Ecclesiae Romanae in orientem extensione.

Auctor postquam asseruit, S. Thomam, spuriis textibus deceptum, « doctrinae de Pontificum infallibilitate scholas aperuisse », continuo iam probare pergit, S. Thomam docuisse tantum: « quum Summi Pontificis sit, Synodos universales et convocare et confirmare, merito dici, Symboli editionem ad eum pertinere »; atque de eo, quod S. Thomas recte expositus docuerit, « inter catholicos non esse controversiam » (p. 75); id est, S. Thomam doctrinae de Pontificum infallibilite *non aperuisse* scholas. Ista quam belle cohaereant, nemo est, qui non videat.

3. Quid igitur docuit S. Thomas? Enunciata quaestione [1]: « Utrum ad Summum Pontificem pertineat fidei symbolum ordinare », postquam more suo proposuit obiectiones, dein rationem contrariam (« Sed contra est... »), ita sententiam suam promens pergit: « Respondeo, dicendum, quod sicut supra dictum est (in arg. 1), nova editio Symboli necessaria est ad vitaudum insurgentes errores. Ad illius ergo auctoritatem pertinet editio symboli, ad cuius auctoritatem pertinet *finaliter determinare ea, quae sunt fidei, ut ab omnibus inconcussa fide teneantur*. Hoc autem pertinet ad auctoritatem Summi Pontificis, ad quem maiores et difficiliores Ecclesiae quaestiones referuntur, ut dicitur in Decretalibus, extra de baptismi, cap. *Maiores*. Unde et Dominus, Luc. 22, 32, Petro dicit, quem Summum Pontificem constituit: *Ego pro te rogavi*, Petre, *ut non deficiat fides tua; et tu aliquando conversus confirma fratres tuos*. Et huius ratio est, quia una fides debet esse totius Ecclesiae, secundum illud 1. Cor. 1, 10: *Idipsum dicatis omnes, et non sint in vobis schismata;* quod servari non posset, nisi quaestio fidei exorta determinetur per eum, *qui toti Ecclesiae praeest;* ut sic eius sententia a tota Ecclesia firmiter teneatur. Et ideo ad solam auctoritatem Summi Pontificis pertinet nova editio Symboli, sicut et omnia alia, quae pertinent ad totam Ecclesiam, ut congregare Synodum generalem et alia huiusmodi ». En tota doctrina S. Thomae in « corpore articuli » proposita, quae tam clara est, ut, quomodo de mente S. Doctoris dubitari possit, vix pateat. Neque hic ullus affertur « spurius » textus.

Verum auctor post Bossuetium [2] urget illa argumenti contrarii verba: « Sed contra est, quod editio symboli facta est in Consilio generali. Sed huiusmodi Synodus auctoritate solius Summi Pontificis potest congregari, ut habetur in decret. dist. XVII (cap. IV, et V). Ergo editio Symboli ad auctoritatem Summi Pontificis pertinet ».

1 Summa 2. 2. q. 1, a. 10.
2 Defens. declar. Cleri gall. l. 10, cap. 16.

Nemo, qui operibus S. Thomae assuetus est, ignorat, « auctoritate in contrarium » S. Doctorem non velle suam omnino sententiam reddere (hanc enim reddit in « corpore articuli »); quamvis illa saepe utitur ad suam sententiam stabiliendam. Idem hic praestat. Quia, quae « pertinent ad totam Ecclesiam », ad Summum Pontificem pertinent, propterea ipsius est, convocare Synodum; igitur, quicumque admittit, Summi Pontificis esse, congregare Synodum, admittit principium, quaecumque pertinent ad totam Ecclesiam, ea pertinere ad Summum Pontificem; proindeque etiam, pertinere ad Summum Pontificem, ut Symbolum ordinet, quia etiam haec res inter illas est, quae totam tangunt Ecclesiam. Hanc esse mentem S. Doctoris, patescit ex ultima « corporis » sententia: « Et ideo ad solam auctoritatem Summi Pontificis pertinet nova editio Symboli, *sicut et omnia alia*, quae pertinent ad totam Eccelesiam, ut congregare Synodum generalem et alia huiusmodi ». Notandum est, a S. Doctore haec sibi mutuo aequiparari: edere symbolum et convocare Synodum. Iam quaero: voluitne S. Doctor dicere, tantum Ecclesia seu Synodo assentiente Summum Pontificem posse congregare Synodum? Nemo id affirmaverit. Ergo nec dicere voluit, tantum Ecclesia seu Synodo assentiente posse edere Symbolum.

Nunc etiam patet, quam bene cohaereant, quae S. Doctor respondet ad obiectionem secundam, quae erat huiusmodi: « Illud, quod est sub anathemate interdictum ab universali Ecclesia, non subest potestati hominis alicuius; sed nova symboli editio interdicta est sub anathemate auctoritate universalis Ecclesiae; dicitur enim in gestis primae Ephesinae Synodi » etc. — S. Doctor respondet: « Prohibitio et sententia Synodi se extendit ad privatas personas, quarum non est determinare de fide; non enim per huiusmodi sententiam Synodi generalis ablata est potestas sequenti Synodo novam editionem symboli facere, non quidem aliam fidem continentem, sed eandem magis expositam. Sic enim quaelibet Synodus observavit, ut sequens Synodus aliquid exponeret supra id, quod praecedens Synodus exposuerat, propter necessitatem alicuius haeresis insurgentis. Unde pertinet ad Summum Pontificem, cuius auctoritate Synodus congregatur, et eius sententia confirmatur ». Etiamsi

S. Doctor in hoc responso nullam fecisset Summi Pontificis mentionem, tamen diluta fuisset obiectio dicendo: praecedentem Synodum non posse prohibere Synodo futurae, ne novum symbolum edat, quia nimirum futura Synodus subiecta non est praecedenti: habet enim eandem cum praecedente potestatem, utpote aeque respiciens totam Ecclesiam ac Synodus praecedens. Sed ea ratio obtinet etiam in Summo Pontifice; idque patet inde, quod ipsius utpote totam Ecclesiam respicientis est, Synodum convocare et confirmare. Verbo: si Synodus praecedens illam adimere non potuit facultatem Synodo subsequenti, nec adimere potuit Summo Pontifici, qui Synodum convocat et confirmat; adeoque aeque parum subiicitur Synodo praecedenti, ac Synodus subsequens. Apertissime S. Doctor alio in loco [1] mentem suam exponit. « Sicut posterior *Synodus* potestatem habet interpretandi Symbolum a priore Synodo conditum, ac ponendi aliqua ad eius explicationem, ita etiam *Romanus Pontifex* hoc sua auctoritate potest, cuius auctoritate sola Synodus congregari potest et a quo sententia Synodi confirmatur, *et ad ipsum a Synodo appellatur* ». Demum etiam prioris loci sensus clarissimo patescit, quum (ad 3) ait: « Athanasius non composuit manifestationem fidei per modum Symboli, sed magis per modum cuiusdam doctrinae, ut ex ipso modo loquendi apparet. Sed quia integram fidei veritatem eius doctrina breviter continebat, *auctoritate Summi Pontificis* est recepta, ut quasi regula fidei habeatur ». Unde etiam intelligitur, quid e Doctoris angelici mente dicendum sit de hac auctoris nostri sententia: « Certe ne unus quidem hucusque saltem Pontifex fuerat, qui Ecclesiae symbolum praescribere sui solius esse cogitaverit » (p. 74).

4. Audaciorem in B. Thoma explicando modum sequitur libelli « manuscripti » auctor. Scribit enim: « Non est credibile, S. Thomam loqui eo modo, qui non conveniat apostolicae et universali Ecclesiae traditioni, quae semper tenuit, tantum universalis Ecclesiae suffragium et auctoritatem esse ultimam et irreformabilem regulam fidei » (p. 50). Cur non liceret invertere argumentum dicendo:

1 Quaest. disp. de potent. quaest. 10, art. 4, ad 13.

Non est credibile, tantum universalis Ecclesiae suffragium et auctoritatem secundum apostolicam et universalem Ecclesiae traditionem esse ultimam et irreformabilem fidei regulam, quum S. Thomas, summi ingenii et praestantis doctrinae vir, Doctor angelicus et apprime catholicus, cuius in scribendo claritas abiit in proverbium, aperte doceat contrarium? Scriptor idem potissimum insistit in S. Antonino, Doctoris angelici discipulo, cuius doctrina adeo clare proponi ipsi videtur, ut in dubium vocari non possit. Quid ergo S. Antoninus? Postquam dixit [1]: « Verum est, quod in talibus, quae sunt de iure *divino vel naturali*, si est aliquod dubium, ad Papam pertinet auctoritas declarandi; et sic potest exponi illud: tibi, scilicet Petro, et cuilibet successori tuo dabo claves » etc.; ita explicandi causa pergit: « Alio modo potest accipi declarare cum auctoritate aliqua, sic scilicet, quod declaratio sua debeat haberi pro vera et firma, ita quod non liceat oppositum tenere vel opinari. Et isto modo potestas vel auctoritas declarandi praedicta dubia est solum apud Summum Pontificem. Hoc autem sic probatur: Oportet enim in Ecclesia ponere unum caput, ad quod pertineat declarare illa, quae sunt dubia circa quaecumque ad fidem pertinentia, sive sint speculativa sive agibilia. Cuius ratio est, quia oportet ponere Ecclesiam sic dispositam, quod tota communitas universalis Ecclesiae maneat in unitate fidei et in una sententia de fide. Sed hoc non posset esse, nisi tota communitas haberet recursum ad unum caput, scilicet praesidentem, apud quem esset auctoritas declarandi dubia. Constat autem, quod in Ecclesia non posset esse tale aliquod caput, nisi solus Papa; ergo ad ipsum pertinet declarare huiusmodi dubia. Et si obiicitur contra hoc, quod quum Papa sit singularis persona, potens peccare et errare; respondendum, quod licet Papa ut singularis persona et proprio motu agens possit errare,... tamen Papa utens concilio (alii: consilio) et requirens adiutorium universalis Ecclesiae, Deo ordinante, qui dicit Petro: *Pro te rogavi, ut non deficiat fides tua*, non potest errare. Nec potest esse, quod universalis Ecclesia tamquam verum recipiat aliquid erroneum ».

1 Summa theol. Pars III, tit. 22, cap. 3 (Veronae 1740).

Quid ad haec auctor noster? « Ergo secundum S. Antoninum, ait, Pontifex habet ius ordinandi et praecipiendi ea, quae spectant ad fidem et mores, et omnes tenentur obedire, non possunt oppositum sentire, sed sub hac conditione, ut ordinet et praecipiat secundum apostolicam traditionem et doctrinam universalis Ecclesiae... Sed si Pontifex erraret, quis haberet ius iudicandi de hoc errore? Ecclesia universalis, respondet S. Antoninus : Nec potest esse, quod universalis Ecclesia tanquam verum recipiat aliquod erroneum » (p. 48).

Iam vero haec auctoris nostri explicatio, pace illius dixerim, est manifesto falsa. Omnes, secundum ipsum, obedire tenentur, sub hac tamen conditione, ut Pontifex decernat secundum doctrinam universalis Ecclesiae. Sed de hac ipsa doctrina quaerebatur; etenim agebatur de dubio, cuius solutionem S. Antoninus a Summo Pontifice tamquam supremo iudice quaerendam dixerat. Si fides Ecclesiae nota iam erat, necesse non erat adire supremum iudicem.

Dicit auctor, secundum S. Antoninum universali Ecclesiae competere ius de Pontificis errore iudicandi. Hoc autem est dicere, licitum esse a Pontifice provocare ad Ecclesiam universalem, proinde ad Concilium generale, quod totam Ecclesiam repraesentat; ad iudicem enim a Deo statutum provocare sine dubio licet. Iam audiendus idem S. Antoninus ita scribens 1: « Quod non licet appellare a Rom. Pontifice ad successorem ipsius. Quoniam quidam hostes virtutis (veritatis?) et unitatis adversarii dicere praesumpserunt, quod licet a Rom. Pontifice ad successorem ipsius *vel ad generale Concilium* appellare; ideo cum correctione Sedis apostolicae [Sedi apostolicae doctrinam meam submittens] intendo probare, quod sentire, quod a Rom. Pontifice possit *ad quemcunque* appellari, est *haereticum manifeste*. Et hoc probo unica ratione, quae est talis: Quicunque privilegium Romanae Ecclesiae a Christo traditum auferre conatur, est haereticus; sed dicens et tenens, quod licet appellare a Rom. Pontifice ad successorem eius, aufert privilegium Romanae Ecclesiae a Christo traditum; ergo talis manifeste haereticus est ». Quae

1 Sum. Part. III, tit. 23, cap. III.

autem valent de Romana Ecclesia, valent e S. Doctoris mento de Romano Pontifice; prosequitur enim: « Videndum est, quae sunt illa privilegia, quae habet Romana Ecclesia vel *Romanus Pontifex, quod est idem* ». Itaque, quod obiter noto, distinctionem inter Romanam Ecclesiam et Romanum Pontificem, ad quam toties confugiunt adversarrii, non admittebat S. Antoninus, sicut nec admittebat, ulli competere ius, Summi Pontificis errorem corrigendi.

Falsam esse, quam « manuscripti » auctor attulit explicationem, patet etiam ex argumentis, quibus ad doctrinam suam confirmandam utitur S. Antoninus. Etenim secundum ipsum ab Ecclesiae *capite* conservanda est omnium in fide unitas: Ecclesiae autem caput non est « universalis Ecclesia », ad quam « manuscripti » auctor ultimum denique de ipsius Pontificis « errore » iudicium defert. Praeterea S. Doctor id, quod asserit, confirmat e S. Scripturae verbis (Luc. 22); haec autem de Petro eiusque successoribus intelligenda sunt, non de universali Ecclesia.

Sed quid illud: « Licet Papa ut singularis persona et proprio motu agens possit errare, tamen Papa utens concilio [vel consilio], et requirens adiutorium universalis Ecclesiae, Deo ordinante, qui dixit Petro: pro te rogavi etc. non potest errare? » — Respondeo breviter, S. Antoninum distinguere inter Pontificem tamquam hominem privatum, et Pontificem doctorem Ecclesiae; nequaquam autem asserere, quod censet auctor (p. 48), Pontificis infallibilitatem esse dependentem ab Ecclesia; nequaquam deducere Rom. Pontificis infallibilitatem ex infallibilitate Ecclesiae. Imo oppositum omnino tenet S. Doctor: *Ecclesiae infallibilitatem e Rom. Pontificis infallibilitate deducit.* Hoc ultimo clare demonstrato, reliqua facilius intelligentur simulque evanescent, quaecumque circa S. Antonini doctrinam dubia moveri possint.

Postquam S. Doctor dixit, haereticum esse, « quicumque privilegium Romanae Ecclesiae a Christo traditum auferre conatur », privilegia illa uberius exponens pergit: « Tertium privilegium est, quod Rom. Pontifex potest condere statuta perpetua, firma et immobilia ». (Provocat ad Matth. 16). « Quartum privilegium est, quod Romanus Pontifex dat auctoritatem et robur omnibus Conciliis, et hoc patet ex

praemissis: quia si est unicum caput et princeps totius Ecclesiae, *habens super omnes plenitudinem potestatis*, et *solus potens facere statuta firma et perpetua tanquam Ecclesiae fundamentum*; sequitur, *quod solus potest roborare statuta Conciliorum et firmare.....* Quicumque sentit, *Romanam Ecclesiam non habere firmitatem immobilem* et perpetuam, auferre conatur privilegia Romanae Ecclesiae a Christo ei tradita; sed sentiens, quod a Romano Pontifice possit appellari, sentit, Romanam Ecclesiam non habere perpetuam et immobilem firmitatem ». Ecce ratiocinium S. Antonini: Quia Rom. Pontifex « SOLUS » potest condere statuta firma (etiam de fidei decretis agi, patet e contextu), *propterea* potest solus Conciliorum « statuta firmare »; i. e. firmitas invicta, quae Conciliorum decretis competit, e Romano Pontifice est. Hoc autem nihil aliud est nisi dicere, Concilia esse infallibilia, quae Rom. Pontifex sit infallibilis.

Nunc etiam intelligitur, cur S. Doctor, inter Pontificem tamquam hominem privatum et Pontificem tanquam Ecclesiae universae Doctorem distinguens, mentionem facere potuerit Concilii vel consilii et « adiutorii universalis Ecclesiae ». Non enim e Concilio vel auxilio Ecclesiae repetit Pontificis infallibilitatem, Concilium non largitur Pontifici infallibilitatem; sed, quum Pontifex Concilio utitur vel Ecclesiae universalis auxilium requirit, *palam fit*, eum tanquam Ecclesiae universae doctorem loqui. Poterat S. Doctor et alia afferre signa, quibus patefieret, Pontificem non ut hominem privatum loqui; et vero aliis in locis de solo loquitur Pontificis « *iudicio* », cui nos in rebus fidei submittere debeamus. Nisi ille, quem dixi, esset sensus, inepte provocasset ad verba illa: « Ego rogavi pro te » etc. quae ad Petrum dicta sunt ut distincto a reliquis. Quum enim ratio, cur Papa utens Concilio errare non possit, repetatur e verbis ad ipsum solum in persona Petri prolatis, patet, Pontificis in Concilio infallibilitatem non pendere a Concilio, sed potius Concilii infallibititatem pendere e Pontifice, cui verbis illis promissa est.

Sed cur addit: « Nec potest esse, quod universalis Ecclesia tamquam verum recipiat aliquod erroneum »? Optime omnia cohaerent. Duplice pro asserenda Pontificis Infallibilitate argumento utitur

S. Doctor. Primum ab *antecedente* petitur e verbis Christi apud Luc. 22; alterum a *consequente*, ex illa in vera fide perseverantia, quam Christus suae promisit Ecclesiae. Quum Ecclesia a vera fide aberrare non possit, Ecclesiae autem fides pendeat e decretis Summi Pontificis, haec etiam ab errore immunia sint necesse est. Hunc rerum nexum S. Doctor alio indicat loco 1, quum scribit: « Nota, quod Ecclesia, quae errare non potest, et fides, quae non potest deficere, est Ecclesia Romana et fides Romanae Ecclesiae. Unde S. Hieronymus: Sancta Romana Ecclesia, quae semper immaculata permansit » etc. Rationem S. Doctor paulo ante attulerat, ubi provocaverat ad Christum dicentem: « Ego pro te rogavi » etc.

Idem argumentorum nexus in reliquis etiam reperitur locis, quos libelli « manuscripti » auctor affert, nec operae pretium est, singula percurrere. Iuvat tamen ostendere, quo tandem auctor delabatur, dum sententiam suam sustinere nititur. Affert e S. Doctore 2 locum, quo erroris redarguuntur, qui Ioannis XXII sententiae obsequi nolebant: « Sed ipsi pessimi homines sunt haeretici veri, quia asserunt contra determinationem catholicam, factam per Ecclesiam et Papam Ioannem XXII et omnes successores eius, veros catholicos Summos Pontifices, et omnes alios praelatos Ecclesiae et doctores utriusque iuris et magistros plurimos in theologia cuiuslibet religionis, acceptam, examinatam et probatam ut verissimam ». Quem verborum sensum hic reperit auctor noster? « Illud, ait, est irreformabile iudicium, regula fidei, quod a Papa probatum, universali Ecclesia acceptatum, examinatum approbatumque sit » (p. 48). Numquid revera existimat auctor, omnia illa momenta, quibus S. Antoninus quorundam hominum pervicaciam redarguebat, necessaria esse, ut aliquid sit « irreformabile iudicium et regula fidei »? Ergone, nisi « doctores utriusque iuris » et « magistri plurimi in theologia » aliquod decretum examinaverint et approbaverint, valore carebit? « Sed, ita quaerit, cur S. Antoninus non appellat ad unius Romani Pontificis personale iudicium, sed ad universae Ec-

1 Ib. part. IV, tit. 8, cap. IV, §. 1.
2 Ib. part. IV, tit. 12, §. 28.

clesiae auctoritatem » (p. 48)? Respondeo: quia volebat redarguere illorum hominum pervicaciam, qui, quum vel solius Pontificis auctoritati sese submittere debebant, in luce meridiana undique illabente adhuc coecutiebant. Nostri vero auctoris ultimum responsum hoc est: « Quia ipsi Ecclesiae universae factae sunt promissiones, et quia, ne deficeret fides universae Ecclesiae, Deus oravit, quando oravit, ne dificeret fides Petri » (p. 48). Ergone Petro ipsi non sunt factae promissiones? Ergone non Petrus fratres, sed fratres confirmabunt Petrum? Ergone non fundamentum domui, sed domus fundamento praestabit firmitatem? Ergone totius Ecclesiae constitutio funditus evertetur?

Mirum etiam est, quem auctor sensum faciat esse alterius clarissimi per se loci 1, clarioris etiam, si adduntur ultima verba ab auctore nostro omissa: « Fides universalis Ecclesiae non potest deficere, dicente Domino Petro (Luc. 22): *Ego pro te rogavi, ut non deficiat fides tua*. Et quantum quidem ad personam Petri, intelligitur de defectu finali, ut scilicet quod non periret persistendo in negationis peccato; quantum ad Ecclesiam autem, quae intelligitur in fide Petri, simpliciter verum est, quia non potest fides Ecclesiae deficere. Ratio, quare fides Ecclesiae in generali deficere non potest, est, quia a divina providentia Ecclesia regitur, scilicet a Spiritu Sancto, cam dirigente, ut non erret. Et licet Papa in particulari errare possit, ut in iudicialibus, in quibus proceditur per informationem: alias in his, quae pertinent ad fidem, errare non potest, scilicet ut Papa, in determinando, etiamsi ut particularis et privata persona possit. Unde magis standum est sententiae Papae de pertinentibus ad fidem, quam in iudicio proferret, quam opinioni quorumcunque sapientum, quum [hanc sententiam non attulerat auctor] et Caiphas, licet malus, prophetavit nescius ».

Quid ad haec auctor noster? « Unde, ait, luculenter patet, hunc (tunc?) Rom. Pontificem loqui *ut Papam*, quando universae Ecclesiae praedicationem, doctrinam, sensum exprimit et suà auctoritate confirmat. Nam S. Antoninus deducit Pontificis Romani infallibilitatem

1 Ib. part. IV, tit. 8, c. 3, §. 5.

ex infallibilitate Ecclesiae, et quia fides universalis Ecclesiae deficere non potest, quia Ecclesia divina providentia gubernata et a Spiritu Sancto directa errare non potest, infert, Rom. Pontificem loquentem ut Papam, errare non posse, quae conclusio illud supponit: Papam ut Papam idem esse ac universam Ecclesiam loquentem, Papam in tantum loqui ut Papam, in quantum repraesentat universam Ecclesiam. S. Augustinus diceret, in quantum in Papa reassumitur et comprehenditur tota Ecclesia, in quantum Papa universalis Ecclesiae sententiam et sensum sua suprema auctoritate confirmat, suggillat (sigillat?) et fidelibus omnibus proponit » (p. 49).

Haec quo vergant, facile dignoscitur. Cur, quaeso, secundum S. Antoninum Ecclesia non potest deficere? Quia Dominus ad Petrum dixit: *Ego rogavi pro te.* Sane Ecclesia dirigitur a divina providentia, sed per Petrum, cui Deus adest, ne erret. Et propterea S. Doctor, postquam dixit, Ecclesiam dirigi a Spiritu Sancto, *continuo* addit: « Et licet Papa » etc. Secundum auctoris nostri principia Ecclesia dirigit Summum Pontificem, oves pascunt pastorem, discipuli docent magistrum, subditi regunt principem, membra caput. Sed si talia e doctrina, quam tenet auctor, legitima conclusione deducuntur, in ea refutanda labor impendendus ultra non est. « Papa repraesentat universam Ecclesiam ». Sane ut pastor gregem, ut pater familiam, ut dux exercitum; nequaquam vero ut, qui ad comitia deputatur, suos repraesentat electores, aut ut famulus repraesentat herum suum, dum eius mandata defert. Si Papae est, Ecclesiae universae « sententiam et sensum sua auctoritate confirmare, sigillare et fidelibus omnibus proponere »; cur non esset Episcopi, suae dioeceseos « sententiam et sensum sua auctoritate confirmare, sigillare et proponere » singulis suae dioeceseos fidelibus? Ecclesia imposterum regiminis forma utetur plane democratica! Exquiret igitur e suae dioeceseos fidelibus Episcopus, non tantum quid ipse credere eosque docere, sed etiam quid iisdem praescribere debeat; quod enim de magisterio, id etiam de imperio dicendum erit. Nec obstabunt illa verba: « Pascite qui in vobis est gregem » etc. Haec enim, quae hucusque ad Episcopos prolata credebantur verba, eodem modo inter-

pretanda erunt atque illa, quae ad Petrum dicta sunt: « Ego rogavi pro te » etc. Quum haec imposterum ad totam Ecclesiam dicta esse credenda sint, sic ut illa confirmet Petri successores, etiam quae ad Episcopos dicta videbantur verba, de cuiusvis dioeceseos fidelibus intelligenda erunt. Non enim aequum foret, solius pastoris supremi iura restringere. Parum etiam curandum est, Christum omnibus simul Apostolis dixisse: « Ecce ego vobiscum sum » etc. Haec enim tam splendida promissio, et quae eam sequuntur iura, non de ipsorum Apostolorum collegio, *cui* facta est, sed de solis fidelibus, *in quorum gratiam* facta est, intelligenda erit. Quid multa? Quod de Ecclesia valet universali, cur non valeat de omni Ecclesia particulari? Nonne enim rami singuli totius arboris referunt formam? Tota igitur Ecclesia formam suam pristinam evellat radicitus, novam sibi constituat eamque democraticam! Media enim via, ita ut solius supremi Pontificis iura, quae adhuc fuerunt, restringantur, consistere non licebit. — Bonum ex integra causa! Si ipsi, qui principia emittunt, conclusiones ex iis non inferunt, inferent alii. Principia, utpote universalia, instar gladii sunt utrimque acuti.

XIV.

Concilium Lugdunense II.

1. Observationum auctor sibi proposuit ut infringat, quod pro Supremi Pontificis infallibilitate argumentum peti solet e professione fidei, quam Michael Palaeologus et Episcopi graeci in Concilio Lugd. II ediderunt. Professionis illius verba, quae huc attinent, sunt: « Ipsa quoque sancta Romana Ecclesia summum et plenum primatum et principatum super universam Ecclesiam obtinet; quem se ab ipso Domino in beato Petro Apostolorum principe sive vertice, cuius Romanus Pontifex est successor, cum potestatis plenitudine recepisse veraciter et humiliter recognoscit. Et sicut prae caeteris tenetur fidei veritatem defendere, sic et si quae de fide subortae fuerint quaestiones, *suo debent iudicio definiri* ».

Auctor noster, relatis ultimis verbis, continuo addit: « Quod autem definitio, quam Ecclesiae consensu nullo modo expresso ediderit, irrefragabilis sit, non exprimitur » (p. 77). Sed neque exprimitur, Romanum Pontificem tantum Ecclesia consentiente fidei quaestiones definire posse; quo ergo iure hic consensus requireretur? Imo exprimitur, Ecclesiae sensum non requiri, ut « definitio irrefragabilis » sit. Definiendi enim vox de se semper involvit iudicium irrefragabile et irreformabile, ut ille, quem Concilia oecumenica loquendi modum usurpant, satis superque demonstrat. Hinc fit, ut, licet Episcopi etiam singuli seorsum sumpti *iudices* sint, tamen fidei veritates *definire* non dicantur, nisi in oecumenico Concilio simul cum Summo Pontifice. Ratio est, quia *definiendi* vox non iudicium qualecumque innuit, sed iudicium supremum, quod quaestioni *finem* imponat seu irreformabile et irrefragabile sit. Itaque in hac formula Supremo Pontifici, *de cuius iuribus agitur*, iudicium de fidei quaestionibus iisdem plane verbis tribuitur, quibus tribui solet Conciliis oecumenicis. Concilia vero oecumenica, quum quaestionem definire dicuntur, iudicium irrefragabile pronunciant. Si huiusmodi iudicium irrefragabile, quod verbis exprimitur, Summo Pontifice soli, *quum de solo sit sermo*, non competit; falsum omnino est, quod ei tribuitur.

Et vero: fac enim formulae hunc esse sensum: « si quae de fide subortae fuerint quaestiones, suô debent iudicio definiri » — intelligendo nimirum: *una cum toto episcopatu et Concilio oecumenico* —; nihil aliud tunc Romano Pontifici tribuitur, nisi quod omni competit Episcopo, qui videlicet consentientibus reliquis Episcopis pariter fidei quaestiones definit. Quis vero non videat, agi hic de illis, quae Romano Pontifici vi *primatus*, hinc *soli* competunt, quum primatus et principatus et obedientiae Pontifici debitae fiat mentio? Si quis autem contendit, Summo Pontifici nonnisi una cum reliquis Episcopis aut, ut nonnulli loqui malunt, nonnisi, « Ecclesia consentiente » fidei quaestiones definire licere, is, ut sibi constet, etiam asserat, Summo Pontifici nonnisi una cum reliquis Episcopis aut Ecclesia consentiente aliquid praecipiendi supremam potestatem esse. Non enim alio modo formula de *praecipiendi* quam de *definiendi* potestate loquitur.

2. Vim huius professionis imminuendi studio auctor prosequitur: « Praeterea Episcopi graeci in litteris suis plurima quidem verba texunt, ubi autem ad iura primatus agnoscenda ventum sit, id tantum spondent: Nihil eorum denegamus, quae ante schisma praestabant Patres nostri his, qui apostolicam regebant Sedem, sed statim et nos attribuimus (Mansi XXIV, c. 74) [1]. Gregorii X, Ianuario 1276 defuncti, successores instituerunt, ut Episcopi professioni ab imperatore emissae accederent, eamque iureiurando firmarent; sed declinabant id omnes, etiam Veccus Patriarcha et alii, qui post Michaëlis obitum se viros catholicos indubiis factis exhibuerunt; nam contumelias, depositionem et carcerem pati quam ab unione deficere malebant » (p. 77-78).

Ergone, si totum quod narratur, verum esset, formulae vis infringeretur, utpote a Graecis non admissae, approbatae autem ab oecumenico Concilio? Numquid Concilii Tridentini decreta manca sunt, quia Graeci schismatici ea non adoptarunt? Sed res non eo modo, quo auctor narrat, gestae sunt: imo fere in omnibus a veritate deflectit.

Graeci hanc fidei professionem iureiurando confirmarunt *iam ante Concilium* Lugdunense. Etenim iam anno 1267 a Clemente IV Graecis communicata erat per epistolam ad Imperatorem datam, quae incipit: « Magnitudinis tuae litteras etc. » [2]. Iurisiurandi autem formula, Romana Sede vacante, praescripta erat anno 1270 a Cardinalium collegio ante electionem Gregorii X, missaque est per Rudolphum Cardinalem Albanensem [3]. Decreverunt praeterea Cardinales, necessarium esse ante Concilium oecumenicum et unionem, ut Graeci omnes in Synodo generali fidei professionem a Clemente IV missam solemni iureiurando sponderent [4]. Synodus Graecorum coacta est, vel prout coniicit Mansi [5], anno 1273, vel ineunte saltem anno 1274. Iusiurandum ab omnibus praestitum est,

1 Loco indicato verba illa frustra quaesieris.
2 Apud Raynald. Annal. ad a. 1267, n. 72.
3 Ib. ad a. 1270, n. 3 et 5.
4 Ib. n. 4.
5 Apud. Raynald. ad a. 1274, n. 15 in nota.

paucis tantum exceptis, inter quos Iosephus Constantinopolitanus Patriarcha, quem sede motum iri, si in pervicacia obduruerit, spondent Antistites suis ad Pontificem litteris 1.

Graeci hanc fidei professionem iureiurando confirmarunt *in Concilio* Lugdunensi. Iurisiurandi formula 2 inter alia haec habet: « Ego... nuncius habens ab iisdem sufficiens ad infrascripta mandatum, omne schisma prorsus abiuro, et subscriptam fidei veritatem, *prout plene lecta est,* et fideliter exposita a me, Dei et Domini nostri nomine veram, sanctam, catholicam fidem esse cognosco; ipsam prout tenet et fideliter docet et praedicat sancta Romana Ecclesia, inviolabiliter servaturum... promitto. Primatum quoque ipsius sacrosanctae Romanae Ecclesiae *prout in praemissa serie continetur,* fateor, recognosco, accepto et sponte suscipio » etc. Episcoporum vero Graecorum nomine iusiurandum illud praestitum esse, historici narrant passim; inter alios Raynaldus 3: « Subiuncta est (Graecorum ad Summum Pontificem litteris) sacramenti forma, qua nuncius *a Concilii Constantinopolitani Patribus* missus sese obstricturus, fidemque orthodoxam professurus esset, iisdemque est concepta verbis atque ea, quam Gregorius acropolita Paleologi imperatoris nomine nuncupavit »; Wading 4: « Magnus Logotheta (nuncius imperatoris)... professus est eam (fidem), quae lecta fuerat in Concilio, dixitque, eam velle credere et tenere imperatorem eiusque subditos... Dehinc sacramentum addidit in hunc modum, *quem ceteri tenuerunt*: Ego, nuncius, habens ab iisdem sufficientem facultatem » etc.; Laurentius Cozza 5: « Deinde lectae sunt litterae missae a Praelatis, inter quos viginti sex Metropolitae, in litteris expressi, fidei Romanae Ecclesiae et unioni cum eadem fiendae subscripserunt; licet non potuerit induci Iosephus Patriarcha CP... Quibus (litteris re-

1 Ib. n. 16, 17.
2 Extat apud Mansi, tom. XXIV, pag. 77.
3 Ib. ad ann. 1274, n. 17
4 Annales Minor. ad a. 1274, n. VI, tom. IV, p. 395. (Romae 1732.)
5 Historia de Graecor. schismate, tom. II, par. IV, c. 31 n. 1361-1367.

citatis) adsertum est sacramentum, quod quum sit *iisdem* conceptum verbis, ac illud imperatoris, referre otiosum duxi ».

Graeci hanc fidei professionem iureiurando confirmarunt *post Concilium* Lugdunense, defunctoque iam Gregorio X, praeeunte illis et cum ipsis iusiurandum emittente Ioanno Vecco: « Non suo defuit officio Ioannes Beccus Patriarcha Constantinopolitanus: celebrata enim Constantinopoli Synodo Romanam Ecclesiam omnium Ecclesiarum matrem et fidei orthodoxae magistram, Romanumque Pontificem summum omnium christianorum pastorem agnovit » 1. Litteris synodalibus ad Summum Pontificem missis haec praemittitur inscriptio: « Litterae Patriarchae CP. et Concilii cum professione fidei et recognitione primatus ». Quum ad primatum agnoscendum ventum est, ita pergunt: « Dicimus enim, sub *testibus Deo* et angelis verba facientes » 2 etc. En iusiurandum! Prosequuntur: « Rursus ad apostolicam Sedem confirmamus inviolabiliter et integre omnes praerogativas et privilegia, quae *ante schisma* reverendi et beati imperatores et deiferi Patres nostri doctores *ad primatum apostolicae Sedis in obedientiam ostendebant:* videlicet quia ipsa sacrosancta Romana Ecclesia summum et perfectum primatum et principatum super universam catholicam Ecclesiam obtinet, quem in seipsa ab ipso Domino, in beato Petro, Apostolorum principe seu vertice, cuius Romanus Pontifex est successor, cum plenitudine potestatis recepisse, vere ac humiliter recognoscimus. Et quemadmodum prae aliis tenetur fidei veritatem defendere; sic et si quae de fide subortae fuerint quaestiones, *suo debent iudicio definiri* 3 ». Operae pretium est notare, Graecos, quum dicunt, se de primatu illa profiteri, quae *ante* schisma Patres ipsorum professi sint, simul asserere, quae Romano Pontifici quoad fidei quaestiones tribuuntur, etiam a Patribus iam tributa esse. — Patet igitur, qua fide suscipienda sint, quae auctor noster de celeberrima illa professione narravit.

1 Raynald. ad a. 1277.
2 Mansi, tom. XXIV, p. 185.
3 Mansi, ib. p. 186.

Sed ex alia etiam parte eandem fidei professionem labefactare cupit. « Antistites latini, inquit, Lugduni congregati aderant quidem, cum Imperatoris fidei professio legeretur: attamen de eius tenore neque deliberationem habuerunt neque decretum condiderunt » (p. 78).

Decretum non condiderunt Patres latini! Quaero: an fidei professio minus est quam decretum? Quantum gaudium, quantum tripudium, quam eximius proinde in eadem fide omnium fuerit consensus, emissa a graecis fidei professione, narrant historici iidem, ex quibus supra rerum gestarum seriem retulimus.

Sed de professionis illius « tenore » habita non fuit deliberatio! Quid inde? Numquid inde sequitur, non intervenisse Concilii approbationem aut de ipsa formula iudicium? An forte deliberatio ad iudicii naturam prorsus requiritur? Quis hoc unquam asseruit? Iudicium sane nullum esse potest sine causae *cognitione*, sed causae cognitio esse potest sine *deliberatione* seu *discussione*. Et vero quaenam causa notior erat et minus proinde indigebat deliberatione, quam haec fidei formula ante septem iam annos proposita Graecis, hinc etiam Latinis non incognita, quae praeterea res continebit apud Latinos omnes pridem admissas et probatas?

Caeterum novum hinc exurgit argumentum pro Summi Pontificis in fidei quaestionibus definiendis auctoritate. Graeci enim, idemque dicendum de Latinis, ab omni deliberatione propterea abstinuerunt, quia Summus Pontifex Clemens IV in suis ad Imperatorem litteris haec statuerat: « Praescriptam... orthodoxae fidei veritatem (professionem fidei)... sicut nec decet, sic nec volumus novae discussioni ac definitioni subiacere, ipsam quasi per hoc quomodolibet contra fas et licitum in dubium revocando. Ideoque licet in praefata scriptura de convocatione concilii ageretur,... nos tamen nullo modo proponimus, Concilium ad discussionem seu definitionem huiusmodi convocare... quia prorsus indecens foret, imo nec licet nec expedit in dubium revocari praemissam verae fidei puritatem, tot sacrae paginae auctoritatibus, tot sanctorum roboratam sententiis, *tot Romanorum Pontificum stabili definitione firmatam* » 1.

1 Apud Raynald. ad ann. 1267, n. 79.

3. Tandem auctor noster ad Concilium Florentinum dilabitur scribens: « Si Summi Pontifices credidissent, in Concilio Lugdunensi decretum esse, ipsos in rebus fidei et morum errare non posse, procul dubio Eugenius IV in Concilio Florentino exegisset, ut Graeci id ipsum confiterentur » (p. 78). Quid si revera exegit? Notissima sane res est, Theologos in illis Concilii Florentini verbis, quibus declaratur, « Pontificem Romanum omnium Christianorum Patrem et *Doctorem* existere », argumentum reperire validissimum pro asserenda supremi Pontificis infallibilitate. Rationes per se patescunt, nec elidi argumentum potest dicendo, intelligi consensum Ecclesiae, qui Pontificis decretis debeat accedere. Etenim de illis sermo est, quae Romano Pontifici competant *vi primatus.* Nemo autem contenderit, Romano Pontifici primatus iuribus eatenus solum uti licere, quatenus tota Ecclesia suum praestet assensum. Ut Graeci id ipsum confiterentur, id Eugenium non exegisse, concludit auctor noster ex eo, quod concesserit Eugenius, ut verba adderentur: « Quemadmodum etiam » (καθ' ὃν τρόπον καὶ etc.). Illa, quae auctor profert, novimus unde fluxerint. Recente etiam memoria tenetur, quo successu iterum divendita sint. Verbis illis: καθ' ὃν τρόπον etc. restringi aut coarctari asserit, quae in praecedentibus professi erant Graeci! Imo confirmantur, quae dicta erant. Neque *concesserunt* tantum Latini, ut adderentur, verum postularunt. Constat, verba latina: « *quemadmodum etiam* in gestis oecumenicorum Conciliorum et in sacris canonibus continentur » et *genuina* esse et *authentica.* Constat pariter, iisdem verbis latinis non restrictionem involvi, sed confirmationem. Quid inde sequitur? Etiam verbis graecis, si in se ipsis ambigua esse possint, confirmationem exprimi, non restrictionem. Verba enim ambigua explicanda sunt secundum verba omnino determinata, ut receptum est apud omnes. Praeterea, Latinos verbis illis confirmationem designare voluisse, non restrictionem, affirmant illi, qui pars non minima fuerunt Concilii. Quid vero, si Graeci, textus graeci, si qua est, ambiguitate abusi non id significare voluissent, quod Latini? Neque tunc Concilii decreto sua adimeretur auctoritas et demonstrandi efficacia. Valet enim eo sensu, quo approbatum est. Romanus autem Pontifex

approbavit illud, quod cum Patribus latinis tamquam fidei formulam et unionis conditionem praescribere voluit Graecis: i. e. approbavit iurium *confirmationem*, quae verbis latinis expressa est, non *restrictionem*, quam secundum auctorem intellexissent Graeci.

XV.

De obedientia sanctae Sedi debita.

1. Observationum auctor fatetur sane, in rebus ad fidem spectantibus obediendum esse Summo Pontifici; imo ulterius etiam progressus quam antea, prope in eo est, ut, quod totis hucusquo oppugnavit viribus, videlicet Romani Pontificis infallibilitatem, concedere videatur. Ita enim scribit: « Licet accurata temporum anteactorum memoria [quam accuratam Concilii Lugdunensis memoriam exhibuerit, paulo ante vidimus] doctrinae de Pontificis Romani infallibilitate personali vix faveat, plurimum tamen valet ad magnam sanctae Sedis venerationem et fiduciam pio in ea collocandam mentibus inspirandam. [Videlicet veneratio et fiducia apostolicae Sedi exhiberi solita opinione nititur falsa!] Hic digitus Dei est! fateatur oportet, qui cathedram S. Petri per mille octingentos et amplius annos Dei, fidei et generis humani causam agentem considerat, dignumque et iustum censeri debet, ut decretis a sancta Sede in fidei morumque rebus emissis fideles intimo firmiterque confidant, ea doctrinae divinitus revelatae consentire. Mentis ad fiduciam hancce compositae sensa cum persuasione de Summi Pontificis infallibilitate non coincidunt, sed ad eam prope accedunt. » (p. 81, 82).

Sed, quaeso, si « *iustum* » censeri debet, ut fideles « firmiter » confidant, Romani Pontificis decreta constituere fidei regulam; quid fiet, si Pontifex nihilominus errare possit? Fideles omnes existimabunt, « iustum » esse, decretis illis suam conformare fidem; proinde iustitiam laedi, si non conforment. Iam vero si vel semel Pontifex in tali decreto erret; nonne tota labetur in errorem et labi debet Ecclesia, quum sine iustitiae laesione obedientiam in re fidei negare non possit?

Ecce quod considerationum auctor per libelli decursum considerare semper omisit: videlicet propter divinitus promissa fieri omnino non posse, ut Ecclesia tota labatur in errorem; fieri autem necesse esse, dum is, cui *tota* Ecclesia in rebus *fidei* obedire debet, a vero aberret in docendo. Si iam ita est, viderit ipse, quomodo, non admissa Romani Pontificis infallibilitate, tueri ad hoc possit, Ecclesiam nullo unquam tempore lapsam esse in errorem, sed columnam semper et firmamentum veritatis perstitisse. Postquam enim dixit, Ecslesiam Romanam unicam esse, quae ex apostolicis ecclesiis superstes sit, ita prosequutus erat: » Multum hoc contribuit, ut Pontificum de fidei morumque rebus decreta obedientia prompta et *plena* exciperentur, et cogitatio, *errorem subesse posse, penitus abiiceretur*. Decreto Pontificis de credendis proposito confidebat populus christianus, genuinam hanc et intemeratam Christi doctrinam esse » etc. (p. 73). Ergo populus christianus omnis per tot saecula Romanorum Pontificum decretis suam conformabat fidem. Ergo alterutrum admittendum: aut illa decreta nunquam fidei veritati fuisse contraria nec contraria esse potuisse, aut totam Ecclesiam lapsam fuisse in errorem, saltem labi potuisse. Fatendum est, auctorem illis, quae de Ecclesiae seu populi christiani consuetudine scripsit, argumentum pro Romani Pontificis infallibilitate protulisse non exiguum.

Si verum est, quod auctor noster disserit, si « dignum et iustum est, ut decretis a sancta Sede in fidei morumque rebus emissis fideles intime firmiterque confidant, ea doctrinae divinitus revelatae consentire »; imo si fateri oportet: « Digitus Dei est hic »; validissimam simul attulit rationem, qua libelli « de Summi Pontificis infallibilitate » auctori persuadeat, vanum esse augurium, quod hic istiusmodi edidit verbis: « Qui adhuc ab Ecclesia alieni sunt, Protestantes et Schismaticos, novo dogmate ut plurimum magis adhuc ab Ecclesia alienari, imo per inevitabiles sequentium discussionum et litium turbas in erroro suo confirmatum iri, sine difficultate praevideri potest » (30). Qui enim ab Ecclesia catholica adhuc alieni sunt, non ideo ad eam accedunt, ut maiori potiantur libertate, sed ut externam inveniant regulam, cui « in fidei morum-

que rebus intime firmiterquo confidant », et de qua fatendum sit: « Digitus Dei est hic » ! Neque satis intelligitur, quod de « inevitabilibus *sequentium* discussionum et litium turbis » dicit. Apud Catholicos enim discussionum turbae non solent *sequi*, sed tantum *praecedere* fidei definitiones, sicuti etiam in Hierosolymitano Apostolorum Concilio « magna conquisitio » praecessit, silentium sequutum est Petri orationem (Act. 15, 7. 12.).

Observator, quamvis dicero cogatur: « Digitus Dei est hic », ex solemni infallibilitatis declaratione magnam praevidet, quam Ecclesia incurrat, invidiam et magnum eiusdem periculum: « nam cum viris ab Ecclesia confessione alienis conspirant catholici, qui aut fidei naufragium fecerunt, aut ita credunt, ut liberalismi laude defraudari nolint » (p. 79).

Si quis huiusmodi homines placaro velit, non modo Romanum Pontificem, sed Ecclesiam ipsam infallibilem declarare vereatur; non tantum Trinitatis et Eucharistiae, sed omnia etiam alia mysteria, imo quidquid est supernaturale, hinc totam etiam religionem christianam abiiciat. Illi enim, quorum odiis auctor terrotur, quidquid est supernaturale aversantur. Et vero, qui « de Summi Pontificis infallibilitate personali » scripsit, ingenuo fatetur (p. 30), Ecclesiae hostes « proprie solum reformidaro Ecclesiae infallibilitatem ». Unde patet, etsi non definiatur Romani Pontificis infallibilitas, id tamen superesse, quod proprie solum illi reformidant et oderunt; hinc quum Ecclesiae infallibilitas abiici non possit, totam semper catholicis sustinendam esse odii, quo Ecclesiae hostes flagrant, molem. Hinc pariter colligere potest idem scriptor, quos nonnullorum timet insultus, numquam defuturos, quum nunquam defuturum sit, quod illi « proprie solum » reformidant.

2. An fortasso in eo, quod Spiritus Sanctus unum hominem ita regat ac protegat, ut, dum aliquid in rebus fidei decernit, in errorem non labatur, aliquid est divinius quodque maiorem pariat invidiam, quam in oo, quod omnes simul Episcopos in Concilio congregatos ita regat, ut, licet natione et studiis quam plurimum inter se diversi, in una tamen ro conspirent? Opusculi « manuscripti » auctor in hac videtur esse sententia: nam « unius et solius Romani Pontificis

infallibilitatem *miraculosam* » appellare amat (p. 26). Si *supernaturalem* appellasset, verum dixisset nec invidiosa usus esset voce. Verum dixisset, quia, quod lege constante evenit, id, licet supernaturale sit, tamen miraculosum non est. Miraculum enim exceptionem involvit a legibus in ordine sive naturali sive supernaturali divinitus statutis. Nec tamen, credo, auctor ex eo, quod Rom. Pontifex, dum *solus* definit, Dei *assistentia* indigeat, miraculum repetet. Num *omnes* Episcopi simul cum Rom. Pontifice definientes Dei assistentia non indigent, ne in errorem labantur? Supernaturalis est certitudo, quam Ecclesiae pariunt definitiones: id nunquam in hac quaestione ex oculis dimittendum foret. Hinc fit, ut etiam Conciliorum decretis non ea de causa, quod a *multis*, sed propterea, quod *Spiritu Sancto* assistente condita sunt, nostram plene submittimus intelligentiam. Quicumque naturalem tantum causam fingit, is fidei catholicae et magisterii Ecclesiae commissi indolem destruit.

Caeterum postquam idem libelli « manuscripti » auctor eo pervenit, ut « ex ipsa ratione confirmandum assumat, non in unius Rom. Pontificis auctoritate, sed in unanimi consensione omnium ecclesiarum collocatam esse regulam fidei » (p. 51), res adeo miscet et imprimis de assistentia Spiritus Sancti tum ambigue loquitur, ut difficile sit perspicere, quid tandem de assistentia illa sentiat, et quomodo illam non confundat cum ordinario Dei hominum actionibus cooperantis concursu. Scribit enim: « Cum Deus vellet illud privilegium Ecclesiae suae concedere, quod solius divinitatis est proprium, magisterium scilicet infallibile, oportebat, ut secundum suae sapientiae legem causas quoque aptas et convenientes in Ecclesia praepararet, quae *absque continuo et perpetuo miraculo, sub ordinaria assistentia Spiritus Sancti*, infallibile hoc magisterium connaturali modo efficerent. Iam vero si uni inter omnes Episcopos concedatur primatus honoris et iurisdictionis in universam Ecclesiam, et magisterium supremum collocetur in unanimi consensione istius supremi capitis cum omnibus Episcopis per universum orbem diffusis, solutum erat problema modo Deo digno, et inventae *causae aptae et opportunae, quae sine continuo miraculo, sub ordinaria assistentia Spiritus Sancti* illud infallibile magiste-

rium connaturali modo *producant*. *Nam* tot et tam diversi per universum orbem Episcopi *non possent* et cum tota antiquitate, et inter se et cum Rom. imprimis Pontifice convenire, nisi id, in quo consentiunt, et verum et ab Apostolis traditum esset. Error *enim* est varius, multiplex, mutabilis: sola veritas est una, semper eadem, immutabilis, et ideo tantum in veritate, in una et sola veritate potest convenire illa Ecclesia, quae et semper et ubique diffusa existit *et a Spiritu Sancto regitur* » (p. 51-52).

Quaero: numquid secundum auctorem illa omnium in eadem re conspiratio, ad quam tandem devenit, est ultima et sola ratio, ob quam Ecclesia sive infallibilis sit sive infallibilis cognoscatur? Si hoc affirmatur, respondeo, causam, qua Ecclesia infallibilis sive sit sive cognoscatur, afferri, quae de se naturalis et humana sit. Et vero, omnium in re aliqua consensio a Philosophis inter veritatis criteria afferri solet, sive agatur de rebus gestis, sive de veritate sensibus non pervia, v. g. de animae immortalitate. Auctor respondere potest, se non eo sensu loqui de illa consensione, qua Philosophi; hi enim ex consensu concludunt, veritatem, in quo omnes consentiunt, indubiis signis innotuisse omnibus seu sua qualicumque evidentia ipsa peperisse omnium consensum; hunc vero in veritate catholica consensum ortum esse ex ipsa Dei in Episcopos influxu. Tunc dimittit suum argumentum et non amplius loquitur « de causa, quae infallibile magisterium connaturali modo producat »; admittit tunc id, quod vocaverat « continuum miraculum »; admittit enim Dei influxum singularem, extraordinarium. — Quaero porro, illa « ordinaria assistentia Spiritus Sancti, » quae et cuiusmodi sit? Estne eadem, qua Deus hominibus communiter adest? Haec non sufficit; nam constat, huiusmodi assistentia homines ab errore non praeservari; et si omnes omnino, Spiritu Sancto ordinaria illa ratione assistente, in re aliqua consentiunt et non errant, non illi assistentiae, sed causis naturalibus tribuenda est eorum ab errore immunitas. Estne singularis, ab illa communi assistentia distincta? Tunc est « miraculosa » illa, quam auctor adeo exhorrere videtur. Respondebit fortasse, Sanctos Patres ad hanc consensionem ut veritatis catholicae criterium provocasse. Non abnuo; sed aut ratione naturali utebantur ad revin-

cendos haereticos, aut consensum illum censebant esse effectum supernaturalem (auctor noster diceret « miraculosum »), a Deo productum. Si consensione illa tanquam ratione naturali utebantur, non collocabant in illa infallibilitatem, quam Christus promisit Ecclesiae. — Si porro auctor noster censet, consensionem illam *per se*, *ut omnis alterius*, sic etiam catholicae veritatis esse criterium, non intelligitur, cur « Romani *imprimis* Pontificis » consensus requiratur; huius enim sententiae seu testimonio nihil amplius tunc competit, quam cuiuslibet Episcopi. Imo nec patet, cur in *Episcoporum* innitatur consensu; reliquorum enim Sacerdotum, imo et fidelium sententia et testimonium cur non idem efficiat? — Quasi sensisset auctor, nimium se tribuisse rationi naturali, et Ecclesiae catholicae infallibilitatem depressam a se esse ad conditionem naturalem, sic tandem concludit: Quia error multiplex est, « ideo tantum in veritate, in una et sola veritate potest convenire illa Ecclesia, quae et semper et ubique diffusa existit *et a Spiritu Sancto regitur* ». Quod de Spiritus Sancti regimine dicit, annon petitio principii est? Volebat nobis demonstrare, Ecclesiam infallibilem esse vel infallibilem cognosci, seu quod idem est, a Spiritu Sancto regi in docendo et credendo Nunc dicere videtur, Ecclesiam in sola veritate convenire posse, *quia* a Spiritu Sancto regitur. Si e Spiritus Sancti regimine potissimum Ecclesiae infallibilitatem demonstare volebat; quid opus erat, eandem ex omnium consensione, communi et naturali criterio, repetere? Et quo iure Romano Pontifici *soli* deneganda erat infallibilitas, quum certe Spritus Sanctus Romanum Pontificem aeque bene regere possit ac reliquos simul sumptos Episcopos? Auctor igitur, quum « miraculosam » Romani Pontificis infallibilitatem quam maxime aversaretur, non satis providit, ne ipsius Eclesiae infallibilitatem ad ordinem naturalem deprimere videretur [1].

3. Sed si Romani Pontificis infallibilitas non declaratur solemniter ab Ecclesia, numquid invidia, quam observationum auctor timet,

1 Missa facio, quae auctor ad eandem rem amplificandam ibidem disserit, sicut etiam missa feci, quae attulit e Concilio sive Pisano, sive Constantiensi, sive Basiliensi; eiusdem enim sunt efficaciae.

declinabitur? Annon fortasse augebitur? Fatente auctore, Catholici « iustum » esse censent, ut unius Supremi Pontificis « decretis firmiter confidant ». Tot hominum centena millia unius senis quoad fidem decretis firmiter confidunt iisque intellectus deferunt obsequium, unius, inquam, hominis, quem errare non posse ignorant! Fatendum est, si certo constat, Supremum Pontificem in huiusmodi decretis esse infallibilem, rationabile prorsus esse tot hominum in re difficillima, in intellectus submissione, obsequium; si vero eundem infallibilem esse non constat, nescio, sitne illud obsequium prorsus rationabile. Quid? quum viri doctrinae laude florentes omnis eruditionis genere demonstrare connisi sint, plures Pontifices errasse, Vigilium saltem in facto dogmatico lapsum esse, Honorium in ipso incarnationis mysterio errorem docuisse, nec a sanctis Patribus, nec ab Ecclesiae Doctoribus, neque a Conciliis agnitam *fuisse* unquam Romani Pontificis infallibilitatem: an saltem in posterum Christiani rationabile adhuc exhibent Romani Pontificis decretis obsequium, si « intime firmiterque confidant, ea doctrinae divinitus revelatae consentire »? Fuerit illud obsequium rationabile, quamdiu fidelium intima persuasio labefactata non erat; illis, qui « cum viris ab Ecclesia confessione alienis conspirant » catholici, qui « aut fidei naufragium fecerant aut ita credunt, ut liberalismi laude defraudari nolint », non amplius videbitur rationabile, nisi, quod a viris multiplici de causa celebratis labefactatum est in hominum animis fundamentum, solemni Ecclesiae declaratione iterum donetur firmitate.

4. Necessariam non esse Romani Pontificis infallibilitatem, observationum auctor variis argumentis ostendere nititur. Illius enim vindices « obliviscuntur, quam magna certitudinis moralis et obligationum ex ea oriundarum sit vis » (p. 80). Quasi, quae Ecclesiae promissa est unitas fidei, morali tantum certitudine nitatur, et quasi moralis tantum certitudo omnium in fide consensum possit efficere, aut denique moralis certitudo, quum de controversiis dirimendis agitur, satis sit! « Si Summus Pontifex, haec sunt auctoris verba, solus locutus est, catholici fidenter dicunt: Non erravit; si cum universis Episcopis coniunctus de fide decrevit, dicunt: Quod errave-

rint, fieri omnino nequit. Per se patet, cum populo fideli obedientia Sedi apostolicae debita commendatur, eiusmodi distinctionibus locum non esse; simplex et pium praedicetur obsequium » (p. 82). Ergo distinguendum non erit, sed populo simpliciter praedicandum et commendandum est mentis obsequium, et quidem per totum terrarum orbem, quum Romani Pontificis, qua late patet orbis, decreta deferantur. Quid vero, si huiusmodi decreta continere possint et contineant errorem? Nonne tunc toto late orbe et per universam Ecclesiam, quae tamen est « columna et firmamentum veritatis », auctoritate publica spargetur error, et hinc portae inferi praevalebunt? Fateor: melius sibi constabat libelli « manuscripti » auctor, qui, quum omni prorsus modo *certum* crederet, Rom. Pontificem carere infallibilitatis praerogativa, hanc, quam observator agnoscere videtur Pontificis in docendo auctoritatem, funditus evertebat, quum scriberet: « Ergo Rom. Pontifex non habebat ius, ut sua sola auctoritate independenter a quacunque cooperatione et consensu totius Ecclesiae dogmata fide divina credenda proponeret, nec fideles tenebantur soli Pontifici sine ullo consensu et cooperatione Ecclesiae loquenti assensum fidei divinae praestare » (p. 2). Nec tamen dixerim, cum leges sanae logicae sequutum esse eatenus, quatenus ex illo, quod est minus notum, i. e. e Romani Pontificis infallibilitate, progressus est ad negandum id, quod est magis notum, videlicet ad negandam Rom. Pontificis in docendo auctoritatem. Sana enim logica demonstrandi viam exigit prorsus oppositam.

Fac, « quum populo fideli obedientia Sedi apostolicae debita commendatur », distinctionibus non esse locum. Quid vero, si qui ex te quaerunt, cuiusmodi sit obedientia, quam commendasti: sitne fidei obsequium deferendum Romani Pontificis circa fidei quaestiones decretis, necne? Quid tunc respondendum est in re prorsus obvia, iam pluries et nostro iterum tempore vehementer agitata, quae sane ad ipsa fidei catholicae fundamenta attineat?

Qui « de Summi Pontificis infallibitate » edidit libellum, respondebit, illicitum esse, Summi Pontificis in rebus fidei et morum decisionibus non praestare internam animi subiectionem, et quidem fidei assensum requiri tum, quum de rebus revelatis seu credendis

agitur (p. 4). Observationum auctor respondebit, dignum et iustum censeri debere, ut decretis illis fideles « intime firmiterque » confidant (p. 82). Auctor libelli « manuscripti » respondebit, fideles non teneri huiusmodi decretis assensum fidei divinae praestare (p. 2). Alius fortasse respondebit, opportunum non esse ad hanc quaestionem respondere. Quid vero, si nihilominus importune quaeratur? An in huiusmodi rerum conditione Ecclesia nullam incurrit invidiam apud illos, quibus invidiosa dicebatur Romani Pontificis infallibilitas?

Asserit observator: « Sunt, qui censent, summae, quae grassatur, licentiae auctoritate pontificia adaucta remedia quaerenda esse. Attamen nullo tempore inde a saeculo decimo tertio sanctae Sedi adeo prompta, adeo universalis obedientia exhibita est, quam hodierno, et nescio an disceptationes eam exaltandi studio provocatae pios fiduciae et obtemperationis sensus [illius sunt verba] augebunt » (p. 79).

Imprimis agi non potest de Romani Pontificis auctoritate augenda vel exaltanda; agi tantum potest de eadem agnoscenda. Tota enim quaestio versatur circa iura et privilegia eidem a Deo collata, non vero ab hominibus conferenda.

Si verum esset, quod auctor asserit, videlicet tam eximium Rom. Pontifici passim exhiberi obsequium, novum id foret argumentum pro veritate, de qua agimus. Unde enim omnium in hac re conspiratio? Sed vereor, ne auctor nimium exaltet hanc promptam et *universalem* obedientiam. Nonne enim doctrinas quasdam, a Sancta Sede licet proscriptas, nihilominus teneri et publice tradi videmus? Nonne quosdam, ut obedientiam apostolicae Sedi debitam infringant aut quantum fieri potest minuant, eousque progredi videmus, ut ipsam Ecclesiae constitutionem funditus evertere conentur? Nonne alii, quaecumque contra sanctam Sedem diversis saeculis conscripta sunt, excutiunt, ut ad negandam eiusdem Sedis auctoritatem ex illis arma sibi comparent?

Non nisi e praepostero Ecclesiae conceptu manare poterant illa, quibus suam de obedientia disputationem concludit auctor. « Quod Ecclesia rite gubernari nequeat, nisi fideles ad obedientiam teneantur, quae nullo plane casu exceptionem admittat, rerum peritior

non affirmabit. Votum obedientiae ad regulae mentem observatum communitatibus religiosis regendis plene sufficit, etsi religiosus superiori obedientiam exceptionis cuiusvis nesciam haud voveat » (p. 82). Aliud est, quum de voluntatis, aliud, quum de intellectus obsequio agitur: in rebus agendis de voluntatis, in rebus credendis de intellectus agitur obsequio, ut supra iam diximus. Si Ecclesia foret societas, in qua res tantum opere externo exequendae iniungerentur, voluntatis tantum per se necessarium foret obsequium. Quum autem Ecclesia credentium sit societas, et quum huius societatis una debeat esse fides, omnes ad intellectus obsequium tenentur exhibendum illi, qui fidei quaestiones suo iudicio definit. Quum porro e divinis promissis constet, hanc credentium societatem nunquam a vera fide recessuram, nunquam totam in errorem esse lapsuram, necesse est, ut, qui universam hanc societatem fidei quaestiones decidendo docet, errare nunquam possit. — Innuere videtur auctor, quandoque ad obediendum, hinc ad credendum, non teneri fideles, quum Rom. Pontifex fidei quaestionem definit; exceptiones enim admittit. Tunc profecto non tenebuntur, quum Pontifex in decreto aliquo labitur. Unde, quaeso, lapsum esse cognoscent fideles? Quis errorem dedocebit Romanum Pontificem? Revocanda hic in mentem sunt, quae S. Antoninum de appellatione disputantem audivimus.

XVI.

Fidei definitionum ad temporum necessitates ratio.

1. Quam in erroribus condemnandis rationem Ecclesia nostro tempore sequi debeat, edocturus observationum auctor primum asserit, fidem ita iam esse explicatam, « ut perraro nova proditura sit a traditione apostolica deviatio, quin evidentissima probatione demonstrari possit, eam veritati catholicae dudum ab omnibus agnitae repugnare » (p. 82). Quod si ita est, quisquis intelligit, idque insinuare videtur auctor, in Summi Pontificis infallibilitate agnoscenda non tantum situm esse momentum, quantum, qui eam defen-

dunt, opinari videntur. — Verumtamen ne ab evidentissimis probationibus solis sufficiens contra errores remedium quaerat auctor. Multa in ipso Symbolo apostolico certo traduntur et evidentissima probatione ex eodem deducuntur, quae tamen solemni Ecclesiae iudicio declaranda erant. Quod enim plerisque certissime deduci videtur, id alii deduci prorsus negant. Neque existimem, Iansenianorum exemplum auctoris sententiae favere. Nonne hoc ipso, quo vivimus, tempore Romani Pontificis infallibilitas certissime deduci multis videtur e S. Scriptura et traditionis momentis, quum alii id prorsus negant? Non sine ratione Christus voluit, ut in Ecclesia fidei regula esset externa et viva, quae controversias dirimeret; si enim ad sensum et iudicium privatum res deferrentur, non illa poterat esse fidei unitas, quam in Ecclesia esse voluit, neque in tuto collocatum erat ipsius fidei depositum. — Quum auctor Iansenianorum effugiis expositis addit: « Etiam inter nos reperiuntur, qui ad difficultates declinandas errorum suorum condemnationi parum reluctantes subscriberent, verborum autem, quibus proferretur, sensum ita detorquerent, ut pristinam nihilominus sententiam expressionibus parum mutatis retinerent « (p. 84); non crediderim, id eo spectare, ut Romani Pontificis declarationibus parum effici insinuet. Idem enim de Conciliorum decretis dici posset, quibus tamen parum effici auctor non contenderit. Si autem visibilis et vivae auctoritatis decreta a subdolis eluduntur, quid de S. Scriptura et traditionis monumentis fieret, si nulla esset auctoritas, quae falsas explicationes, statim atque oriuntur, condemnaret?

2. Ex ipsa errorum, qui hodie vigeant, natura sequi videtur observatori, minus opus esse supremi Pontificis eiusque infallibilis auctoritate. « Hoc tempore catholici in Ecclesiam consurgentes usque ad errores ipsum fidei fundamentum evertentes declinare solent » (p. 85). Huiusmodi errores manifesti sunt. « Manifestos errores statim ac publice proponentur, Episcopus reprobet, nec eas altiores agere radices sinat » (p. 86). Sed nonne et Arii error ipsum fidei christianae fundamentum petebat? Nonne idem manifestus erat? Nihilominus quot strages edidit? Quot Christianos, imo et Episcopos infecit? Nihilominus perimendus erat non unius Epi-

scopi, non conciliorum provincialium, sed suprema, quae in Ecclesia est, auctoritate. — Caeterum auctor noster alios etiam nunc surgere errores fassus est, optimeque censuit, « aberrationes virorum, qui supernam revelationem et divinam Ecclesiae institutionem nequaquam addubitant, negligendas non esse » (p. 86.) Sane, Ecclesia enim non esset fidelis commissi sibi depositi custos, si ad illa tantum duo capita servanda curam suam restringeret. Minus vero fortasse assentientur multi auctori nostro, dum de illis « aberrationibus » loquens ita pergit: « Quando autem cum commentis Deum et revelationem oppugnantibus nulla ex parte cohaereant, de regula (nam in tanta rerum omnium diversitate exceptiones non deerunt) magna populo Christiano pericula non excitabunt. Praeterea de eis liquido plerumque probari poterit, quod aperte refragentur doctrinae totius Ecclesiae consensione dudum stabilitae » (p. 86). Non consentient, inquam, illi, qui meminerint, quantopere fidei unitatem commendaverit Christus; quam severe ipsam vocum novitatem vitari praeceperit Apostolus; quanto horrore omnem prorsus in fide errorem semper aversata sit Ecclesia. Neque securi conquiescent illi, qui experientia docti noverunt, errores plurimos, qui aliis saeculis proscripti iam erant aut evidenter refragabantur Ecclesiae doctrinae, in Concilio Tridentino et a Romanis Pontificibus denuo fuisse condemnandos, quia denuo exorti erant.

3. Qua ratione Romanum Pontificem intervenire expediat, auctor hisce exponit: « Si autem maiores sint causae cuiusdam difficultates vel scandala sive pericula concitentur, quae Summus Pontifex solemniore definitione reprimenda esse censeat, neque Concilium oecumenicum convocare expediat, Episcopis mandetur, ut de ea, quae decernenda est, fidei quaestione sententiam suam scripto exponant: quod in tanta itinerum facilitate absque longiori interposita mora fieri potest. Hac ratione obtinebitur, ut doctrina antiquissima et constantissima de consensione ecclesiarum tanquam genuino veritatis catholicae criterio intacta servetur, atque dubitationes et pericula supra exposita declinentur » (p. 86-87).

Meum quidem non est, Supremo Pontifici suadere aut indicare, quid, quum fidei quaestio definienda videtur, agendum aut non

agendum sit; neque quid acturus sit, previdere possum. Non tamen mirarer, si alia etiam ratione, quam quae hic commendatur, utendum censeret. Fortasse solius antiquitatis consensum aut testimonia consulenda duceret, quum constet, quod olim credidit Ecclesia, id nunc etiam credendum esse. Fortasse solius Ecclesiae Romanae fidem i. e. illorum, qui ante ipsum fuerunt, Pontificum doctrinam exquirendam iudicaret, quum constet, Ecclesiam Romanam a vera fide non posse deficere, et ad hanc Ecclesiam, S. Irenaeo teste, » omnem Ecclesiam convenire » debere. In hac agendi ratione fortasse confirmaretur priorum Pontificum exemplo, qui non exquisito prius reliquorum Episcoporum consensu fidei formulas praescripserunt, ut, dum de fidei professione a Graecis in Concilio Lugdunensi II emittenda ageretur, factum esse vidimus. Si diversis hisce rationibus pro temporum et rerum diversitate uteretur, dubitandum non est, quin « doctrina antiquissima et constantissima de consensione ecclesiarum tamquam genuino veritatis catholicae criterio intacta servetur ». Nam criterii illius sensus non is est, ut illud *solum* catholica sit veritas, quod hoc ipso tempore ab *omnibus* tenetur, sed is tantum, ut si quid ab omnibus creditur, id constet catholicam esse veritatem. Et vero, « si maiores sint causae cuiusdam difficultates », si nova exoritur quaestio, novus error, non licebit semper supponere, eandem esse omnium Episcoporum sententiam. Accidere enim facile posset, quod factum esse testatur historia, ut ipsi Episcopi, quia ancipites haererent, Supremi Pontificis exquirerent iudicium, aut plures eorum a vera fide deficerent.

Unum, quum de Ecclesiarum consensione ageret, non indicavit auctor: quid nimirum agendum foret Supremo Pontifici, si, omnium Episcoporum ad se delatis sententiis, constaret, eosdem minime inter se convenire. Id enim accidere posse, nova aliqua quaestione proposita, dubitandum non est. Certe, si S. Stephanus, mota de haereticorum baptismate quaestione, Africanos Episcopos suam rogasset sententiam, baptisma ab haereticis collatum repetendum dixissent. Quid igitur agendum Summo Pontifici? Num a decreto ferendo prorsus abstinendum? Sed tunc non sedabuntur turbae nec, quid verum sit, constabit. An alterutra pars sequenda, licet pars

non exigua obsistat? Sed tunc non erit unanimis ille aut fere unanimis consensus.

Quaestionem solvit libelli « de Summi Pontificis infallibilitate personali » auctor, quum de « traditionis testium consultatione » agens scripsit: « Non omnium stricte Episcoporum requiritur consensus, sed *potioris* partis, imo in nonnullis casibus *paucorum* suffecisse suffragium, ut in Conciliis *cum S. Sede* vel *ab hac* fidei veritas stabiliretur, historia docet » (p. 26). Ita profecto est. Illo autem responso haec nova movetur quaestio: Si *potioris* partis, imo quandoque *paucorum* sufficit suffragium, ut a *S. Sede* veritas stabiliatur; quid, quaeso, dicendum est de celebrata illa nonnullorum sententia, ad fidei quaestiones solvendas unanimem aut fere unanimem requiri totius Ecclesiae consensum? Si porro teste historia quandoque cum paucorum Episcoporum suffragio fidei veritatem stabilivit adeoque irrefragabile tulit iudicium Sancta Sedes; quo adhuc iure dicitur, ut Romani Pontificis iudicium sit irrefragabile, Ecclesiae totius requiri consensum? Nemo enim dixerit, paucos illos, quorum accessit suffragium, totam constituisse Ecclesiam. Sic igitur Romani Pontificis infallibilitas, quum exclusa et relegata esset, continuo revocanda est, ut, quae historia refert, explicari possint.

Quae autem sit « potior » illa Episcoporum pars, colligi facile potest ex hisce eiusdem auctoris verbis: « In testimonio ipso edendo, sicut de sanctis Patribus dici consuevit, non est omnium par auctoritas: praevalent Sedes *antiquiores* et *maiores* quoque, nam quid *ubique* et ab omnibus credatur, ex ambitu credentium colligitur; praevalent *doctiores* quoque et sanctiores praesules, ut de sanctis Patribus et doctoribus Ecclesiae communis persuasio habet: praevalet quoque, si [?] in eadem Ecclesiae parte doctrina aliqua sedulo et diu iam *expensa* et *pertractata* fuit » (p. 26).

Alias iam diximus, Episcopos, quum de fidei quaestionibus agitur, non tantum *testes* esse, sed etiam veros *iudices:* quatenus vero iudices sunt, eadem est omnium auctoritas, quum eadem *a Christo collata potestate* doceant et ad credendum obligent fideles. Idem dicendum est de eorum, quod qua *testes a Deo praeordinati* edunt, testimonio. Paucis: quatenus *supernaturale* ut ita dicam elemen-

tum respicitur, omnium sub Romano Pontifice constitutorum praesulum eadem est in fidei quaestionibus decernendis auctoritas. Humana vero media, quibus in fidei depositum eiusque sensum inquiritur, aliis plura, pauciora aliis praesto esse possunt. Auctor noster censet, praevalere sedes « maiores », *quia*, « quid ubique et ab omibus credatur, ex ambitu credentium colligatur ». Ratio, quam attulit, ostendit, quam debili eius sententia nitatur fundamento. Potest sane, ut Ecclesiae doctrina cognoscatur, ad fidelium etiam fidem attendi; sed ad hanc catenus potissimum attenditur, quatenus, cognita gregis fide, pastoris a Deo statuti cognoscatur doctrina. Neque fidelium fides vel sensus primaria est indagandae veritatis via. Synodus Tridentina [1], quum vult ostendere, « quibus potissimum *testimoniis* ac praesidiis in confirmaudis dogmatibus et instaurandis in Ecclesia moribus sit usura », S. Scripturam exhibet et « traditiones continua successione in Ecclesia catholica conservatas ». Ad has autem traditiones investigandas Episcopos non in suam quemque dioecesim remittit. Ubi potissimum traditiones inquirendae sint, satis indicat, quum vetat, ne quis « contra unanimem *consensum Patrum* ipsam Scripturam sacram interpretari audeat ». Et vero si dioeceseos ambitus tanti esset momenti ad auctoritatem conciliandam Episcopi testimonio, perexigua fuisset S. Gregorii Thaumaturgi auctoritas, qui dioecesin suam adiens septendecim reperit fideles.

Quo potissimum modo catholicae Ecclesiae traditio investiganda sit, praeclaro nobis exhibet exemplo Vincentins Lerinensis [2], strenuus ille traditionis assertor. In Concilio Ephesino « universis, inquit, sacerdotibus, qui illo ducenti fermo numero convenerant, hoc catholicissimum, fidelissimum, atque optimum visum est, ut in medium *Sanctorum Patrum* sententiae proferrentnr, quorum alios Martyres, alios confessores, *omnes vero Catholicos sacerdotes* fuisse et permansisse constaret, ut scilicet rite et solemniter *ex eorum consensu et decreto* antiqui dogmatis religio confirmaretur ».

1 Sess. IV.
2 Commonit., cap. XXX, Bibl. Patr. tom. X, p. 15.

Postquam decem Patres, quorum testimonia allata sunt, recensuit, ita concludit: « Hi sunt omnes apud Ephesum magistri, consiliarii, testes, iudices producti... Quamquam multo amplior *maiorum* numerus adhiberi potuerit; sed necesse non fuit, quia decem illos non aliud vere sensisse, quam caeteros omnes *Collegas* suos nemo dubitabat. » Haec Vincentius! Ergo non ad suarum dioeceseon *gregem*, sed ad maiores et quidem *pastores* provocabant Concilii Ephesini Patres; Ecclesiae *docentis*, non *audientis* quaerebatur testimonium. Ergo *pastorum doctrina*, non vero fidelium huic vel illi commissorum *multitudo* aut *cultura* attendebatur.

Caeterum si ita esset, ut auctor idem asserit, si sedium antiquiorum et maiore ambitu gaudentium testimonium praevaleret, nonno iterum sequeretur, praevalere omnibus simul testimoniis solius Sedis Romanae testimonium, utpote solius ab Apostolis fundatae et praesidentis omnibus simul fidelibus?

4. Illa, quae Summo Pontifici tenenda sit, ratione exposita, observationum auctor ita pergit: « Neque successoris S. Petri ius et potestas detrimentum capiet, quum valde potius ipsius interest, ut auctoritas, quam Concilia oecumenica, ex quo celebrari coeperint, hunc usque diem apud catholicos omnes habuerunt, inconcussa persistat » (p. 87).

Concedit igitur, non in solis Conciliis oecumenicis Ecclesiam posse infallibile circa fidei quaestiones pronunciare iudicium; non enim dixerit, si Summus Pontifex Episcoporum per orbem dispersorum sententias exquirat, Concilium constitui oecumenicum. Concedit pariter, invalidam fuisse rationem, quam ad labefactandam fidei professionem in Concilio Lugdunensi II editam attulit, quum diceret: « Antistites latini Lugduni aderant quidem, cum imperatoris fidei professio legeretur; attamen de eius tenore neque *deliberationem* habuerunt neque *decretum* condiderunt » (p. 78). Nam quum suam quisque Episcopus profert sententiam, non expensis et ne auditis quidem rationibus, quae pro sua proferunt alii, deliberationem haberi nemo dixerit. Multo minus sententiae a singulis prolatae, quae sine dubio non parum inter discrepabunt, decretum constituent.

« Declaratione autem edita, Summum Pontificem solum et absque aliorum Apostolorum successoribus de fidei et morum rebus iudicio infallibili decernere, Concilia oecumenica ea privarentur auctoritate, *propter quam* S. Gregorius M. se ipsa tanquam quatuor evangelia venerari professus est; *etenim* ad decernendum de fide et moribus *superflua* forent, imo semper fuissent, etiam Patrum nicaenorum tempore » (p. 87). Hoc quomodo sequatur, praeter observatorem nemo facile perspiciet. Rationem, quam pro sua sententia affert, attendens diceres, S. Gregorium professum esse, se Concilia oecumenica tanquam quatuor evangelia propterea venerari, quia aut necessaria sint aut saltem utilia, quum tamen in Spiritus Sancti assistentia illa nitatur veneratio. An fortasse, quia Spiritus Sanctus adest Romano Pontfici etiam soli, adesse non potest eidem Pontifici docenti et decernenti cum aliis? An quia aderat S. Petro, ut non erraret, adesse non poterat aliis etiam Apostolis? Singuli enim Apostoli, auctore fatente (p. 9), Spiritus Sancti assistentia gaudebant. Neque sua necessario Conciliis negatur utilitas, imo et quaedam necessitas, si Romano Pontifici competit infallibilitas, ut alibi ex ipso auctore nostro de primo Apostolorum Concilio agente ostendimus.

« Hac adoptata sententia (Rom. Pontificis infallibilitate) intimo Ecclesia antiquioris sensui bellum moveretur » (p. 87). Quis « intimus ille antiquioris Ecclesiae sensus » fuerit, vidimus, et auctor noster ipse nobis dixit, quum de obedientia sanctae Sedi debita passim ageret (cf. supra XIV. 1).

5. Eandem quaestionem versans libelli « manuscripti » auctor, postquam « ex ipsa ratione comprobare » tentaverat, « in unanimi consensione omnium ecclesiarum collocatam esse regulam fidei » (p. 51), ex ipsa etiam ratione comprobare aggreditur, non esse collocatam « in unius Pontificis auctoritate ».

Procedit ex « infallibilitatis » conceptu. Ad ambiguitatem vitandam utile fuisset, clarius exponere, quid illa infallibilitas sit. Non enim confundenda est cum proprietate aliqua aut habitu, qui homini iugiter inhaereat. In sua *causa* spectata, infallibilitas est ipsa Spiritus Sancti assistentia; in suo *effectu* spectata, est exclusio erroris ab

illo, cui docenti seu definienti Spiritus S. assistit. Hinc etiam quum de infallibilitatis *subiecto* agitur, ille intelligendus est, cui docenti seu definienti Spiritus Sanctus ita adest, ut eum in errorem labi non permittat. Dixi: « cui *docenti* seu *definiendi* adest ». Agitur enim hic de infallibilitate Ecclesiae *docentis*, non de infallibilitate Ecclesiae *credentis*, seu agitur de infallibilitate *magisterii*, cui Christiani, ut ipsi in *vera fide* persistant, sese submittere debent; non agitur directe et proxime de fidelium in vera fide perseverantia.

Vario enim sensu pro varia conditione hominum, qui in Ecclesia constituuntur, Scriptura Sacra Ecclesiae in vera Christi doctrina perseverantiam tribuit. Sunt loci, quibus Ecclesiae, ut ita dicam, confuse seu indeterminate haec tribuitur perseverantia, ut quum ipsa « dicitur columna et firmamentum veritatis ». Quod hic indeterminate significatur, nulla facta docentium et audientium distinctione, id alibi docentibus promittitur; ut illis Christi verbis: « Ecce ego vobiscum sum » etc. In hoc igitur loco diserte et proxime de Ecclesiae *magisterio* agitur, cui talis Spiritus Sancti promittitur assistentia, ut a vero non aberret in *docendo*; reliquis autem fidelibus, seu Ecclesiae *audienti*, in vera fide perseverantia indirecte tantum et remote promittitur, quatenus videlicet infallibilis magisterii doctrinae suam conformaturi sunt fidem. Verbo: magisterio promittitur infallibilitas ut ita dicam *activa*, ex qua fluit Ecclesiae audientis infallibilitas passiva seu producta magisterio infallibili. Sunt denique loci, quibus, quod magisterio promitti audivimus nulla inter caput et membra, inter Petrum et reliquos apostolos facta distinctione, id Petro soli, a reliquis distincto, promittitur, ut dum Christus pro illo rogavit, ut eius fides non deficiat, et dum ipse distinctus a reliquis Ecclesiae constituitur fundamentum, contra quod inferorum portae non praevalebunt. Omnibus igitur hisce locis inerrantia seu in vera fide perseverantia spondetur, sed diversa ratione pro diverso inter Ecclesiae membra ordine et dependentia.

Auctor noster ita argumentatur: « Vel admittetur 1.° unam esse in Ecclesia infallibilitatem, cuius subiectum non sit nisi unus Rom. Pontifex: ita ut hoc privilegium non spectet primo et per se nisi ad Rom. Pontificem: et tota Ecclesia in tantum sit infallibilis, in quan-

tum hoc charisma mutuatur a Pontifice per nudam et caecam obedientiam eius decretis exhibitam; vel 2.° admittantur duae distinctae infallibilitates, quarum una spectet ad Ecclesiam universam comprehenso suo capite Rom. Pontifice, alia spectet ad unum et solum Rom. Pontificem, qui etiam solus et ante quodcumque sive antecedens sive concomitans sive subsequens Ecclesiae universalis suffragium ex sua suprema auctoritate sit infallibilis; vel 3.° admittitur una infallibilitas, i. e. Ecclesiae universalis infallibile suffragium, quod vel sese explicat per Ecclesiam dispersam, quae eandem cum Ecclesia Romana doctrinam promulgat; vel sese pandit in Conciliis oecumenicis, vel seso manifestat per Rom. Pontificem, ad quem omnes Ecclesiae conveniunt (?!?), quique in se omnium ecclesiarum fidem comprehendit et pronuntiat. Iam vero primum non potest asseri, nec secunda hypothesis potest defendi » (54, 55).

Patet, quum auctor noster quaerit, *quot* sint *infallibilitates*, quaestionis sensum hunc esse: quisnam sit infallibilitatis in docendo subiectum, et hinc multo simplicius et clarius quaeri potuisse, ut plerumque quaeritur, quisnam exerceat infallibile magisterium, seu cui Spiritus Sanctus ita assistat, ut docendo errare non possit.

Omissis nonnullis, quae in verbis allatis ambigua videri possint, omissa etiam quaestione, num S. Irenaei verba, ad quae alludi videtur, ex auctoris mente ne primatum quidem demonstrare censeantur; videndum, quomodo duas priores hypotheses refellat. Ad primam refellendam *undecim* omnino profert rätiones, quarum quatuor primas, prout ordine sequuntur, exhibeo.

A. « Infallibilitas est proprietas essentialis Ecclesiae catholicae, quae est columna et firmamentum veritatis; sed Ecclesia catholica non est solus Summus Pontifex, sed ordinata collectio omnium fidelium, omnium pastorum cum Rom. Pontifice: ergo infallibilitas non est privilegium unius Rom. Pontificis, sed per se et proprie spectat ad Ecclesiam universalem. »

Respondeo, mirum sane esse, auctorem non exhorruisse, quum, quid tandem deduceret, videret. De quonam agitur? De infallibilis *magisterii* subiecto. Secundum auctoris argumentationem « ordinata collectio fidelium », utpote constituens Ecclesiam, est infallibilis ma-

gisterii subiectum. Haec autem collectio tum clericis tum laicis constat; ergo secundum ipsius demonstrationem etiam laici exercent magisterium. Cur non vocantur ad Concilium? An fortasse ab ipsis deputati et eorum nomine venerunt Episcopi? — Infallibilitas utique, si generatim pro perseverantia in veritate sumatur, competit ipsi Ecclesiae, sed diversis eius membris diverso modo. Supremum magisterium perseverat in *veritate docenda*, fideles perseverant in *veritate credenda* seu *credita*. Pari ratione etiam vita competit *toti homini* ex anima et corpore constituto; sed animae competit vita ut eiusdem fonti seu ut vitam *communicanti*, corpori competit vita ut *communicata*. « Nunquid omnes doctores »?

B. « Infallibilitas est proprietas essentialis magisterii ecclesiastici....; sed magisterium ecclesiasticum residet iure divino in Episcopis et Romano Pontifice. Ergo infallibilitas residet ut proprio et *immediato* subiecto in choro Episcoporum, comprehenso imprimis Romano Pontifice. »

Resp. Quid auctor censeret de hoc argumento? Irrefragabilitas est proprietas essentialis auctoritatis iudicialis; sed auctoritas iudicialis competit omnibus tribunalibus regni; ergo irrefragabilitas competit *immediate* omnibus tribunalibus, etiam inferioribus. Ex argumento sequitur tantum, infallibilitatem *quomodocumque competere* episcopis, utpote *quomodocumque* constituentibus cum Rom. Pontifice magisterium ecclesiasticum; non autem sequitur necessario, residere in choro episcoporum ut « immediato » subiecto. Et vero haec vox ab auctore illata est in conclusionem, licet non esset in praemissis. Episcoporum coetus cum Rom. Pontifice docens exercet sane infallibile magisterium; quum autem in hoc choro sit subordinatio, quum Episcopi tanquam praecipua membra submissi sint Romano Pontificii tanquam capiti, ex auctoris argumentatione non sequitur, Episcopos *immediate* recipere infallibilitatem; possunt eandem recipere e Rom. Pontifice, cui subsunt.

C. Mysticis quibusdam cum Trinitate comparationibus omissis, argumentnm ad hoc recidit: « Infallibilitas, utpote ultimus et nobilissimus actus (?), non spectat nisi ad magisterium ecclesiasticum in suo ultimo complemento consideratum, prout involvit Summi

Pontificis et omnium Episcoporum auctoritatem. Ergo infallibilitas non residet nisi in *congregatione* et suffragio omnium Episcoporum cum Rom. Pontifice. »

Resp. Ipsa conclusione, qua tantum in *congregatione* et suffragio omnium Episcoporum infallibilitas reponitur. satis innotescit, argumento probari nimium ac proin nihil; ipseque auctor non admittit, tantum in solemnissimo suo actu, videlicet pronunciando in Concilio oecumenico, magisterium esse infallibile. Praeterea, an magisterium tunc tantum sit infallibile, si agit, prout constituitur tum Summo Pontifice tum omnibus Episcopis, hoc quaeritur, ac proinde non erat supponendum tanquam demonstratum.

D. « In illis residet docendi infallibilitas, quibus factae sunt promissiones, in quibus hoc privilegium fundatur. Sed hae promissiones factae sunt Apostolis, Episcopis, *Ecclesiae universae*: Vobiscum sum » etc.

Resp. Si « Ecclesiae universae » competit, ergone etiam simplices fideles exercebunt infallibile magisterium? Videlicet, factae sunt fidelibus ut submissis auctoritati pastorum, pastoribus ut submissis supremo Pontifici. Quid simplicius?

Quae pro eadem causa deinceps afferuntur argumenta, operae pretium non est, ut singillatim recenseantur; non enim maioris sunt efficaciae, quam quae audivimus.

Neque meliora sunt argumenta illa, quibus auctor ostendere nititur, non esse « duas distinctas infallibilitates », seu, omissis verbis obscurioribus, Deum non potuisse Ecclesiam suam ita constituere, ut idem Spiritus Sanctus assistat modo Romano Pontifici, dum solus fidei quaestiones definit, modo Romano Pontifici et reliquis Episcopis simul definientibus. Quam primum, « duplicis infallibilitatis » voce omissa, quaestio verbis clarioribus enunciatur, per se iam patet, auctorem nunquam *e ratione* probaturum esse, quod enunciat.

Sed ita argumentatur: « Scripturae, traditio, Concilia non loquuntur nisi de una et indivisibili Ecclesia docente, de uno et indivisibili magisterio, errori non obnoxio, de una infallibilitate: Unus Dominus, unum baptisma. Cum autem infallibilitas resideat in Ec-

clesiae universalis cum suo capite suffragio et auctoritate, secunda illa personalis et a tota Ecclesia independens unius Romani Pontificis infallibilitas utpote fundamento destituta corruit » (p. 55).

Resp. Dolendum est, non esse allatos illos locos, quibus Scripturae, traditio, Concilia loquantur de una et indivisibili Ecclesia *docente*, de *uno magisterio*, et de *una* imprimis *infallibilitate*. Sed perbelle auctor noster ait: « Quum autem una infallibilitas resideat in Eccelsiae universalis cum suo capite, Rom. Pontifice, suffragio et auctoritate »; videlicet, tertium hoc sui trilemmatis membrum, quod duo priora reiiciendo inferro voluerat, nunc iam probatum supponit ex eoque infert, membro secundo, de quo reiiciendo hic agitur, non esse locum.

Si tamen auctor adeo sibi complacet in *infallibilitatibus numerandis*, quaerere ex ipso liceat, quot primo Ecclesiae tempore fuerint « *infallibilitates* »? Nunquid *tredecim*, quia tredecim erant Apostoli, singuli seorsim infallibiles? Nondum sufficit; quum enim in primum convenerunt Concilium, nova constituebatur « infallibilitas », cuius etiam partem haberent reliqui Episcopi, qui non erant Apostoli. Sed annon et sancto Lucae et sancto Marco, utpote hagiographis, saltem ad tempus sua utrique tribuenda est infallibilitas? Si igitur primo Ecclesiae tempore quatuordecim aut sexdecim « infallibilitates » nullam involvebant contradictionem, cur binae nunc involverent, si revera binae essent?

Secundum eius argumentum hoc est: « Deus non efficit per plura, quod potest efficere per pauciora; atqui ad conservandum et proponendum et definiendum depositum fidei, ad regendum et pascendum Dominicum ovile sufficit unum magisterium infallibile Ecclesiae universalis. Ergo sine ratione sufficiente asseritur secunda illa a tota Ecclesia independens personalis Rom. Pontificis infallibilitas » (p. 55, 56).

Diceres, auctorem nunc velle restituere primum trilemmatis membrum, quod reiecerat. « Deus non efficit per plura, quod potest efficere per pauciora »! Quid si quis subsumeret: atqui per unum solum, qui cum suprema et infallibili auctoritate doceat, potest in vera fide conservare Ecclesiam, sicut revera per unum, qui

solus suprema et irrefragabili auctoritate praecipit, regit Ecclesiam; ergo per hunc solum infallibiter docentem conservat: ergo solus Romanus Pontifex est infallibilis. Cur enim hoc non sequeretur e principio statuto?

Nemo non videt, quum de divinae sapientiae et bonitatis operibus quaestio est, quam sit difficile, ratione probare, Deum hoc vel illo modo agere debuisse. Si enim rationes congruas pro hac parte attuleris, rationes etiam congruas pro altera simul afferre poteris. Caeterum non multum laboraret, qui rationibus congruis hanc vellet fulcire sententiam, Deum, ut unum constituit, qui auctoritate *suprema* totam gubernet Ecclesiam seu fidelium omnium regat *voluntatem*, sic unum et quidem eundem constituisse, qui eadem auctoritate *suprema* totam doceat Ecclesiam seu omnium in fide regat intellectum. Reliquorum autem Episcoporum, qui a Deo in rebus fidei constituti sunt iudices, quum constituti sint pastores, tam parum pessumdaret auctoritatem, quam eorundem leges ferendi potestatem tollit, quum unum dicit esse legislatorem *supremum*, Romanum Pontificem. Neque enim in regnis quicumque veri sunt *iudices*, eosdem et *supremos* esse iudices necesse est, quum aliud sit, sententiam aliquam esse iudicium, aliud, esse iudicium *irrefragabile*. Sicut, qui in rebus civilibus sunt iudices, iudices esse non desinunt, dum altius tribunal adeundi datur facultas, ita etiam Episcopi suam in rebus fidei iudicandi non amittunt auctoritatem, dum aliud tribunal constitutum esse docetur, a quo solo ulterius appellandi non sit facultas seu cuius unius in rebus fidei iudicium sit irrefragabile. Neque ex eo, quod ad obediendum supremo pastori obstringuntur, sequitur, eosdem fidelibus praecipiendi carere potestate. Qui enim alteri subditus alteriusve discipulus est, idem aliorum potest esse superior et magister, sicut etiam qui altiori iudici subest, idem aliorum iudex esse potest.

INDEX